SYNTAGMA HORTATIONVM QVARVM CAPITA INSEQVENTI PAGINA DENOTATA SVNT,

Syn. 8.60.31

AD PRÆCELLENTISSIMVM ET POTENTISSIMVM ANGLIÆ Scotiæ Franciæ & Hyberniæ Regem IACOBVM hoc nomine Primum &c.

LIBRARY CAMBRIDGE

Authore Michaële Rẽnigero.
Oxonienſi.

Pſalm. 21. verſ. 8.
Quoniam ipſe Rex confidit Iehouæ, ideo fretus benignitate excelſi non dimouebitur.

LONDINI
Excudebat Thomas Dauſon.
1604.

Syntagmatis hortationum Capita.

Cap. 1. *De diuina prouidentia & Regio aduentu in Angliam.*

Cap. 2. *De diuina prouidentia, & Regnorum conuersionibus.*

Cap. 3. *Quid Regiæ Maiestati pro tantis beneficijs de cætero comitendum sit.*

Cap. 4. *Administrationum omnium columen & firmamentum esse synceræ religionis propagandæ studium.*

Cap. 5. *De pij propositi constantia & perseuerantia.*

Cap. 6. *Illam pij propositi perseuerantiam diuini verbi lectione, meditatione & sacrarũ concionum auscultatione perpetuò fouendam, alendam & excitandam esse.*

Cap. 7. *De supplicandi Deo vi, efficientia & assiduitate.*

137 ; 01

¶ PRÆCELLENTISSIMO ET POTENTISSIMO ANGLIÆ Scotiæ, Franciæ & Hyberniæ Regi Iacobo, hoc nomine primo, fidei defensori & in Regnis suis secundum deum vtriusq; fori in causis supremo gubernatori Gratiam, salutem & ingens suorum in hac vita Regnorum fœlicitatem, & in futura cœlestis Regni æternitatem à Deo patre per Christum Seruatorem.

∴

INnter Honoraria intimæ & flagrantis gratitudinis testimonia, quæ Maiestatis vestræ à subditis oblata & repræsentata vobis fuerunt, istud diuinarum hortationũ syntagma Regiæ pietati gratum & acceptum futurum esse confido. Diuinæ enim hortationes Regiæ pietatis ceu quædam alumnæ & nutrices sunt, illam exuscitant & ecclesiæ & reipublicæ in rem præsentem producunt. Illæ mundanis illecebris frigescentem & flaccescentem pietatem excitant, renouant, & quadam spiritus flagrantia accendunt. Arcus quamuis

adductus aliquid laxamenti & solutionis contrahit, & paulatim eneruatur nisi de nouo intendatur. Sic erectus & pietati intentus animus vel naturæ communis fragilitate relaxatur, vel mundi huius blandimentis sensim deliquescit & obsolescit, nisi hortationum alatur nutrimẽtis, & neruis roboretur, Arcui fallaci flaccescenti & dolose iaculãti (vt illud Dauidis *Keshẽ remiia* interpretantur) Israelitarum defectione *Dauid* assimilauit. Eandem ad similitudinem illorum declinationem *Osee* Propheta descripsit. Generosæ stirpes vicium faciunt & corruptelam contrahunt nisi crebrò excolantur. Vt apud *Ieremiam* *Sorek* nobilissima scilicet vitis quæ diuino satu & ortu edita, fuit à generoso succo in steriles & effœtos malleolos & sarmenta degenerauit, quæ à declinando & degenerando *Sourei* ab illo appellantur. Ipsæ etiam vulgares & promiscuæ vites quæ insitam à natura fæcunditatem habent nisi cultura adhibita adminiculis sustententur, vietæ & caducæ sunt, & in humum prouolutæ sterilescunt. Sic mens humana, nisi hortationum foueatur & sustentetur adminiculis, ad casus & prolaptiones procliuis est. Ipsa ex qua ficti & facti sumus terra, nisi colatur & aratro subigatur, obdurescere solet & quadam sterilitate obsolescere: sic nostræ naturæ germanum hoc est, vt nisi hortationum exerceatur cultura, quandam duriciem & callum contrahat. At animi hortationibus assueti vt sola subacta & iterata vberiores fructus effundunt.

Psalm 78.

Osee 7.

Ierem. 2.

fundunt. Præcelsæ & editæ turres viarum & itinerum indices sunt, cuiusmodi à *Salomone* in canticis *Talphiot* appellari notant, quód vias edoceant ne, qui in illis progrediuntur rectis abitineribus deuij sint. Viarum etiam in compitis statarij & insignes lapides erigi consueuerunt, illarum viatoribus vt nuncij sint, ne flexu aut diuerticulo aliquo recta à via aberrent. Huiusmodi itinerum lapidem verbo *Haazel* in scriptura designari Santes exposuit, qui (vt ait) signum transeuntibus per viam est. Vicariam hanc illis operam piæ hortationes præbent, ne pietatis qui itineribus insistunt, in aliquos anfractus & circuitiones deflectant. Huiusmodi recti itineris à Babilone ad Hyerusalem indicia, signa & excelsos titulos erigere sibi à Ieremia *Iehudei* iubentur, quos *Isiunim* & *tamrurim* vocat, & qui cælestis Hyerusalem directum ad iter diuinas hortationes ceu duces & deductrices adumbrant. Salutares illæ sunt, quamuis acerbitate aliqua conditæ videantur, & quamuis nostro palato non sapiant, at salubritati & saluti inseruiunt. Vt in medicinis faciendis quæ acerba aut amara pharmaca sunt, maximè salutaria sunt, quamuis nostri stomachi non sint & mulcendis palatis non seruiant. Quid *Dauid*, in optatis? percutiat me (inquit) iustus in misericordia. Ceu plagam sibi luculentam impositam, & percussionem inflictam verbo *Halam* expressit, quod tundere significat. Ab æquiori & indulgentioti animo profectam castigationem quamuis

Cant.4.

1.Sa.20.19.

Iere.31.

Psal.141.

acerbiorem, assentatorijs delinitionibus & sermunculis anteferendam censuit. Ferit illa aures & quodammodo tundit, at hij quadam dulcedine sensus titillant & suauiter in auribus tinniunt. Cauda blandiuntur scorpiones, sed obliquè feriunt. Sic qui omnia adulantur verborum lenocinijs & aucupijs, principum captant gratias, & omnes fauorum flatus & ventos colligunt, at venenatis linguis, quamuis non directè sed obliquè, vulnerant & clandestino veneno inficiunt. Illa aulicarum assentationum redundantia ceu quædam spineta vitanda sunt, & laudationum immoderatio ceu quædam sarmentorum luxuries resecanda. Nihil inuitius audiuit *Augustinus*, quam laudum suarũ præconium, quamuis ab ingenuo & candido animo profectum. Ad Ianuarium enim scribens nihil se tristius legisse eius in literis ait, quam se nihil latere. In scripturis (inquit) plura nescio quam scio. Fugit suas laudes Hilarion, quum suis virtutibus alijs innotescere ea pisset, vt à *Zozomeno* de eo proditum est. Propterea à Gazæis Dalmatiam migrauit, vt nominis sui claritatem & celebritatem deuitaret. Haud cordi (*Zozomenus* vt inquit) ei erat apud eos commorari à quibus laudabatur. Per locorũ mutationes obscurus esse studuit & existimationem quã acquisiuerat, crebris migrationibus extinguere studebat. Hactenus *Zozomenus*. Sic ille laudũ suarũ patefactionẽ fugit, ceu hostis esset in foribus, qui amẽtatã in eum hastã torqueret, aut sagittã ceu ad scopum

August. Ianu. epist. 119.

Her. Zozo. eccle. histo. li. 5. ca. 10.

scopum collinearet. Celebre est illud *Chrisostomi*, Sagitta volans per diē est laus humana, quæ ipsa percutit, vt elatione pereant. Sic *Chrisostomus*. Quamuis enim suauiter & modulate in aures influat & plausibilis sit, at nisi modestiæ & humilitatis temperamento frenetur, plagam & vulnus facit interius & philautiæ quoddam vestigium seu venenum relinquit. Quam multifariæ Constantino illi cognomento magno laudationum panegyres & acroamata recitabantur? Illis aulæ personabant & palacia percrepabant. At quum fluentibus buccis laudes eius numerosis victorijs & tropæijs illustratas buccinabantur, ille diuina quadam modestia aduersus illarum illecebras & blanditias animum suum præmuniuit. Ac quarti de eius vita libri capitum in recensione referente *Eusebio*, Non tulit (inquit) *Constantinus* si quis admodum eum laudasset. Ac quum huiusmodi verba audisset (*Eusebio* commemorante) quod & in præsenti vita contra omnes hostes imperatorio Regno decoratus fuit, & in futura vita cum filio Dei regnaturus esset, Ipse (*Eusebius* vt inquit) molestè hæc verba audiens, admonebat ne talia pronunciaremus, sed precibus ipsi potius impetraremus, vt & in presenti vita & futura dignus redderetur qui Deo seruiret. *Eusebij* hæc verba sunt. Ac idem testatur: vbi (inquit) lætis vocibus auditores acclamabant, vt sursum ad cœlum suspiceret, innuebat, ac solum omnium Regem religiosis laudibus celebrarent & honorarent.

Chri. in Psal. 70.

Euse. de vita Cōstan. mag. li. 4.

rarent. Sic ille humilitatis, ceu quodam vallo obducto animum suum aduersus laudum humanarum & mundanæ gloriæ inuitamenta & oblectamenta præfulcerat: ac suarum laudum ex audientia Deo litauit, ac gratijs ipsi habendis eas illi sacrauit. Humilitatis diuino propugnaculo opus est, ne humanarum laudum & gloriæ applausibus mens infirma succumbat, & illarum quadam oblectatione deliquescat. Vt ille σκωλικόβρωτος *Herodes* a vermibus scilicet derosus, quod popularibus in applausibus gloriam Deo non tribuisset. Solent laudes profusores infirmiorum animos deafficere: affectus mulcere, & altius intimas in medullas subrepere, & quadam insitæ philautiæ contagione illas inficere. Nec minus a laudibus labefactatur æger animus, quam a terroribus quatitur, ab vtrilq; nisi præcautione adhibita periclitatur. Diuina illa *Iobi* sententia est: Interroga quæso bestias agri & docebunt te & volucres cæli & annunciabunt tibi. Pauonum enim hoc vernaculũ et germanũ dum collustratas plumas versant et circũagunt voces canoras ceu applausus & iubilos profundunt, & sibi de plumis pictis applaudunt. Hinc ab Hebræis *Renanim* a iubilando appellatas conijciunt, vt verbi vim & notionem explicant. At quum in versandis & ventilandis plumis omnem superbiæ apparatum & pompam ostentarint, subito atratorum pedum contuitu plumas demittunt, quasi suæ illas superbiæ et philautiæ puditum sit. Quid

Act. 12.

Iob. 9.

illa

illa humanæ vitæ et mundanæ gloriæ quantumuis colluſtrata pompa? phantaſia. Illam argutis vt verbis ſcriptura appellat. Venit *Agrippa* Rex et *Bernice*, μετὰ πολλῆς φαντασίας Regium apparatum et pompam φαντασίαν *Lucas* appellauit. Quòd cœleſtium comparatione, pomparum ferculis mundana iſta ſimilia ſint, et phantaſiæ inſtar euaneſcant. Vtile proinde mortalibus documentum in ſuperba, (modo quam cōtemnimi) aut Deus propoſuit. Vt quā primum ſuperbiæ (cognati et gentilitij ab *Adamo* morbi) aliquam tentationem et commotiunculam ſentimus, ſtatim mortalitatis noſtræ ceu atra et opaca obiecta ſpecie omnes gliſcentis ſuperbiæ ſtirpes et fibras elidamus, Humilitas nobis ab humo eſſe debet inſitiua. Quòd ceu ex humo reptantes vermiculi, et ceu ex terra oriundi lumbrici ſimus. Vt geminis et duplicatis verbis *Rimmaue Tolea* vermem et vermiculum ſignificantibus, ab ipſa humo humilitas nobis in *Iobo* inculcatur. Hac ſe Deo commendauit, quum illum verbo *Kalla* affatus eſt vilis inquit ſum. Tanta animi abiectione et humilitate ſe pro vili Deo repræſentauit. Ac fidei noſtræ pater *Abraham* (illum vt *Paulus* deſignat) hac humilitate ab humo in tua cum Deo de Sodomitis colloquutione diuinam ſe in gratiam inſinuauit. Induxi (inquit) animum vt loquerer cum Domino, qui pulvis ſum et cinis. Mortalium hæc conditio eſt, quamuis mundanæ pompæ ad faſtigium aſcenderint, vt humo

Act. 25.

Iob. 25.

Iob. 40.

Ro. 4.

Ge. 18.

orti quod intermedium vitæ ſpacium eſt humationi, et ſepulturæ debeant Proinde hac humilitatis diſciplina mortalibus quæ germaniſſima eſt, omnes et potiſſimum Principes animos ſuos imbuere et excolere debent, piarum vt hortationum colentes ſint. Illæ totius vitæ traductionis ceu diuini duces et laternariæ ſunt, et conſtans illarum obſeruantia è vita hac migraturis perquam conſolabilis eſt. *Tiberius* Imperator, qui magna cum laude imperio fūctus eſt, quum vitæ eſſet in extremo, morte iam appropinquante Mauricium cui filiam deſponderat, et quem Imperij ſucceſſorem cōſtituerat, grauiſſimis hortationibus ad imperium pie adminiſtandum erudiuit. Ac primum ſicuti ad ſementem fructuoſe faciendam mollito et ſubacto ſolo opus eſt, quod ad illam concipiendam et compræhendam apto et habili temperamento ſit, ſic Mauritij a primo animum temperauit et præfulcit, ne poteſtatis ſublimitate efferatur, et pijs ab hortationibus et monitionibus tranſuerſim abripiatur. Ac ex Nicephoro moribundi Imperatoris hortationem vt referam, Imperium (inquit) res quædam ſublimis eſt, in altum tollens qui ei inſidet: et recte cogitata exequitiens. Minimé quod prudentia omnes anteeas, (exiſtimes) quamuis fortuna ſublimi omnes ſuperes. Obiurgationē magis ac magiſtram quā aſſentationem complectere. Poteſtas enim res quædam eſt quæ doceri & admoneri nolit, caſtigationem ægrè ſuſtinet. Hactenus *Tiberij* ad

Nice. li. 17. ca. 40.

Mauri-

Mauricium extremam hortationem ex Nicephoro recitaui, quem vt obiurgationum potius perferentē~~tem~~ quam assentationum amantem esse instituit. *Iustinus* Imperator iunior cognominatus postq; mentis ex impotencia & phrenitide (qua laborauerat) lucidum interuallum (*Nicephorus* vt refert) nactus fuisset, animo ad consiliorum & hortationum sanitatem & sapientiam composito, commemoratum modo *Tiberium*, quem Imperij successorem designauerat, grauissima hortatione affatus est. Et sua vt peccata corrigeret rectè & benignè administrando imperium hortatus est: ac sanctissimum Dei timorem vltimo hortatu & penè anhelitu illi commendauit. *Constantinus* Imperator qui magni cognomētum tulit, filios, quibus imperium dispertiit sāctissimis hortationibus crebro excoluit: Vt omnibus imperijs pietatem & diuini cultus propagationem & propugnationem anteferrent. Et hoc mandatorum eius (*Eusebij* verbis vt recitem) maximum erat & primum, vt scientiam & pietatem erga Deum Regem omnium omnibus diuitijs ipsoq; imperio præferrent. Maximus ille *Theodosius* cognomento senior, (illum Nicephorus vt nominat) nihil (vt Nicephorus narrat) moriēs Arcadio & Honorio filijs mādauit, quā vt verā pietatē integrā seruarent, per quam pacem habituri essent bella sopituri, & victoriā ab hostibus consequuturi. Placilla Imperatrix *Theodosij* memorati sanctissima & laudatissima coniunx, crebra huiusmodi

Nice. li. 17. ca. 40.

Euse. de vita Constan. li 4.

Nice. li. 13. ca. 1.

iusmodi hortatione aures & animum eius pe-
Nice. li. 12. ca. 42. pulit. Hunc ad modum cõmemorante *Nicephoro*: Contemplare (inquit) quis ante fueris & in quem locum te euexerit vniuersitatis huius Deus, si non ingratum te præbeas, & ex præscripto legum Dei gubernabis imperium. Huiusmodi hortationes religiosissima Imperatrix prj Imperatoris auribus sæpe ingerebat, & illum ad pie administrandum imperium crebro acuebat. Hunc igitur diuinarum hortationum codicem Regiæ Maiestati vestræ probatum & acceptum fore confido. Ac quum profundendis studijs & officijs perfungendis gratitudinis suæ documenta, & testimonia Maiestati vestræ omnes repræsentare studeant, hoc scripturarum e sacrarijs depromptum officiosæ gratitudinis qualecumq; munusculum Maiestati vestræ gratum & acceptum futurum spero. Ad hoc me Regia pietas, candor & clementia animauit, in literas fauor in eos, sacra qui tractant singularis propensio, & Regia in omnes, qui eam promereri studeant, comitas & indulgentia. Ac ad me quod attinet, hoc animi inductu ad capessendam hanc operam accessi, quod vetustissimo *Reginæ Elizabethæ* iam olim è famulatu, & domestico in seruicio fuerim: quod sacro in ministerio consenuerim, & ex illo veteranorum censu & numero qui antegressis persequutionum tẽporibus religionis causa peregrinati sunt, cum mei ordinis per paucis adhuc diuina benignitate reliquus & superstes sim. Hoc certe mihi

insignitè

insignité consolabile est, quod vt *Polycrates Ephesinus* episcopus senectutem suam solatus est, testante *Eusebio*, cum fratribus quód per orbem contulerit: ego suscepta religionis ergo peregrinatione clarissimos viros magna ecclesiarum lumina viderim. Argentorati in Germania Petrũ Martyrem et Hyeronimũ Zãchium theologiæ scholas habentes & scripturas in publico prælegentes audiui. Tiguri in Heluetia *Conradi* Pellicani & *Theodori* Bibliandri venerandæ literaturæ senum theologicæ scholæ ex suggesto vna partitis operis sacra lectione defungentium auditor & discipulus fui. Illic etiam temporum illorum coriphæos & primariæ notę scriptores vidi & cognoui. *Bullingerum* antiquissimum ecclesię Tigurinę secundum *Zuinglium* & primariũ precone, de cuius relictis in ecclesia sacrorũ librorũ monumẽtis nulla vnquã posteritas conticesçet. Gualterum qui tot exaratis sacras in scripturas libris in ecclesia claruit. Lauueterum eximium scriptorẽ, *Bullingeri* generum, dominum meum hospicij iure & benignitate obseruandum. Simlerum qui egregiam in sacris doctrinam scriptis suis in ecclesia testatus est. Illic Gestnerum multifarijs doctrinis fæcundum & laboriosum scriptorem cognoui. Bernæ Heluetiorum Wolfgangum Musculum theologiæ in gymnasio sacram lectionem obeuntem & explicantem audiui. Eiusmodi hæc sunt, vt tam illustrium virorum recordatio & commemoratio mihi priuatim consolatoria sit & aliquẽ

Euseb. eccle. histo. li. 5. ca. 25.

apud

apud ingenuos & candidos peregrinationum æstimatores forsan fauorem & gratiam mihi conciliet. Quamuis non deerunt forte his moribus qui sinistrè & perperam hæc interpretabuntur: Qui scilicet in ventilandis & vellicandis alienis nimis arguti, morosi & rigidi censores sunt, licet satis soluti in suis. Ego vero M. vestræ in clientelam & tutelam confugio, cui si hæc mea accepta fuerit opera, (diuinæ quam gloriæ consecraui) non moueor illis, qui accerbi alienorum scriptorum & negociorum æstimatores sunt. Dominus Iesus Maiestatem vestram cum lectissima Regina & optimæ spei Principe *Henrico* & stirpe Regia quam longissimè incolumes florentes & saluos conseruet, & contra omnes foris domiq; hostes & perduelles indulgentissimè perpetuo protegat.

Maiestatis vestræ.

Supplex & obseruantissimus famulus.

Michael Rēnigerus.

Apoc. 7.

Benedictio & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & potestas, & vires Deo nostro in secula seculorum. Amen.

De hortationum Syntagmate & illarum ex ordine collocatione & tractatione.

TOtius libri capita (præcellentiſſime Rex) hunc in ordinem digeſſimus, & ceu certi corporis membra ſuo capiti coagmentauimus. Omnium tractationum caput eſt Diuina prouidentia, ex qua omnes mũdi principatus & poteſtates initium ducunt, & originem habent: & ex qua omnium publicarum & priuatarum adminiſtrationum euentus & ſucceſſus deriuantur, & in qua ceu centro finiuntur & terminantur. Quæ ex illa aptæ & deſcriptæ adminiſtrationes non ſunt, in incerto fluctuãt, in ſalebris hærent, & in ruinas promptæ & præcipites ſunt. Ad illam igitur, qui regnorum & rerumpublicarum clauum tenent & tractant, conſilia & adminiſtrationes ſuas intendere & dirigere debent: ne vel in lubrico conſiſtant, vel graues in offenſiones incurrant, & ſic in alto iactentur, vt tranquillitatis ac fœlicis gubernationis portum tenere non valeant.

Proinde hoc diuina de prouidentia primum caput inſtar capitis reliquo mearũ tractationum corpori prætexuimus: vt diuina prouidentia omnes nõ ſolum principum ſed omnes omniũ hominum adminiſtrationes euentus & ſtatus præmuniẽdos & prefulciẽdos eſſe oſtendamus. *Caput 1.*

Secundo etiam in capite diuina de prouidentia plenius pertractauimus, & in primo quam exorſi *Caput 2.*

exorsi sumus telam, in secundo pertexuimus. Quòd omnium humanarum administrationum diuina prouidentia soli instar subiecta sint, in quo publicas & priuatas operas fideiter & fælicitet exædificent.

Caput 3. Tertio in capite quos prælucente & præeunte diuina prouidentia reipublicæ in administratione progressus Regia Ma. instituere & facere debeat ostendimus. Regium vt erga Deum officium flagitat, respublica vt desiderat, & officij nostri ratio congruenter & submisse postulat.

Caput 4. Quarto in capite synceræ religionis & diuini cultus promouendi & propagandi in studio fælicis gubernationis fundamenta iacienda esse demonstrauimus. Illa enim si sancte & caste procuretur in republica, tum illa publicis etiam in administrationibus vberiorem tranquillitatem & fælicitatem diuinitus consequetur. Et quæ in illa labes defectus & anfractus sunt in rempublicam redundabunt, & tranquillum & fortunatum publicæ administrationis processum impedient.

Caput 5. Quinto in capite quid gubernationis in procinctu & capessenda republica inprimis cum animis suis constituere pij principes debent exposuimus. Vt pij propositi constantia & perseuerantia ceu quodam gubernaculo omnes suas administrationes moderentur & stabiliant. Ac ab ea nullis vel assentatorijs vel insidiosis quorumcunq; machinis dimoueri ac deijci se patiantur.

antur. Sed pij propositi constantia seu quòdam propugnaculo omnes contra venientes siue in aperto siue in operto oppugnationes & machinationes repellant. Ac heroici et inuicti in eo sint animi, nec aliquorum quamuis versutis & veteratorijs molitionibus succumbant, nec pij propositi in firmitate & perseuerantia vacillent.

Sexto in capite quibus illa pij propositi firmitas & perseuerantia fomentis alenda & roborãda est exposuimus: Nempe diuini verbi lectione, meditatione & frequenti eius auscultatione. *Caput. 6.*

Septimo quomodo illa fructuosa & efficacia nobis futura sint declarauimus, pié nimirum orandi & supplicandi vi, efficientia & assiduitate. *Caput. 7.*

Istorum ex capitum tractatione Reges & principes diuinis hortationibus ad defungenda pié & fæliciter Regnorum, Principatuum & vocationum suarum munia, ceu in rem præsentem inducuntur. Ac vt fæcunda est rerum diuinarum hortatio, eadem esse ad nobiles & qui præfecturis & magistratu pollent vtiliter et fructuosé accommodari potest. Nempe vt diuina illi à prouidentia in priuatis & publicis administrationibus pendeant: vt synceræ & castæ religionis ad lucem ceu cælestem cynosuram administrationum suarum cursum intendant: pij vt propositi perseuerantiam constanter & perseueranter prosequantur: vt illam scripturas meditando, lectitando & auscultando excuscitent, alant, & confirment. Ac precum vt adminiculis naturæ communis fragilitatem

&

& infirmitatem assidue muniant & corroborent. Et non illi solum sed omnes cuiuscq; sortis homines vberem istarum hortationū vium fructum percipere possunt. Diuinam ad prouidentiam in omnibus vt nitātur; syncerae religionis cultura & castimonia animos suos vt excolant: constantis vt in ea & pietate exercenda propositi sint: & illud scripturae nutrimētis & orandi adiumentis confirment & stabiliant. Sed diuinae prouidentiae tam euidenti patefactione in Regio ad patriam nostram accessu inducti potissimum ad has operas sumus. Et diuinis hortationibus Regiam Maiestatem ad Regnorum sibi a Deo destinatorum & traditorum procurationem & administrationem excitauimus. Ac vt magis absolutas, confectas, & cōpletas hortationes nostras perficiamus, illam ad subiectas illis cōgruēter materias ecclesiā nimirū & rempublicā secundo etiā in libro accōmodabimus: quē diuina gratia & ope (nisi quid institutum hoc nostrū interpellet) instituimus. In quo sic ordinatim procedere cogitamus.

Cap. 1. Primo in capite vbi haec pij propositi constantia inprimis & potissimum actuanda & exercenda sit, monstrabimus: nempe in ecclesia constituenda & ornanda, & eius vectigalibus a rapinis & expilationibus vindicandis.

Cap. 2. Secundo in capite de ecclesiarum ministris pro dignitate cooptandis agemus, nec gratijs, largitionibus, aut precarum aucupijs ordinandos, aut ecclesijs imponendos esse.

Tertio

Tertio in capite ſecundum eccleſiam de re- Cap. 3.
publica & eius vectigalibus, quantum vocatio-
nis & officij mei ratio poſtulat & patitur, tracta-
bimus, & de impendio quæſtuoſis & raptori-
bus, (ne illam compilent) ab ea arcendis.

Quarto in capite omnium adminiſtratio- Cap. 4.
num & tractationum ad metas oratio mea de-
curret, nempe futurum iudicium & deſtinatam
electis gloriam. Hic namque omnium mundi
principatuum & adminiſtrationum terminus
eſt. Ad hunc ſcopum omnes tum principes tum
omnium ordinum homines in attributis à Deo
ſibi principatibus & adminiſtrationibus perpe-
tuo collineare debent: vt damnatorium ſupre-
mi diei iudicium effugiant, & futuræ gloriæ
compotes ſint. His ſecundi libri capitibus prio-
ris libri hortationes (ne illas inchoatas & man-
cas relinquamus) ſupplere & abſoluere cogita-
mus. Ac vt Regiæ Maieſtati diuina à prouidetia,
ſyncera a religione, pij propoſiti a perſeuerantia,
& eius a ſcripturis & ſupplicandi Deo officijs
confirmatione præmunitæ, eccleſiam & rem-
publicam ceu materiem ordinatè ſuccedentem
ſupponamus: in quibus Regiam diuina in pro-
uidentia fidentiam et heroicam pij propoſiti ex-
ercitationem eccleſiæ & reipublicæ ad ſalutem
explicet & exprimat. Hæc enim Regiæ voca-
tionis ceu quædam ſpacia & curricula ſunt, &
apertiſſimus ad pium propoſitum & pietatem
exercendam campus. Vltima mundanarum re-
rum meta ad quam omnium Principatuum &

administrationum curricula consistunt & qui rerum omnium terminus est, iudicium extremum est & futura electorum gloria. Et qui rerum omnium terminus est, illum mearum hortationum finem & terminum constituam. Hæc secundi libri in apparatione cogito, cum hac tamen assumptione si nihil interueniat vt supersedendum esse potius existimem. Abrumpendæ enim prolixitatis tædio hoc facio. Quin præla ipsa latinorum apud nos librorum sumptus & operas reformidant. Non enim Francofordianam hic panegyrim & nundinum habemus, é quo in latissimas longe lateq; regiones libri disseminantur. Sed imperij huius finibus & terminis maris æquoribus circum circa circumuallati vt plurimum clauduntur. Et Dei beneficio vecturæ oportunitate aliorum labores et libri ad nos importantur. Propterea minus in latinis exarandis ferax nostra patria est. Et prælis suis hic in venundandis latinis plurimum metuunt. Et Theologicarum tractationum latiné præsertim scriptarum quædã facietas hic obrepere hominibus & ipsis prælis incipit. Quod eos qui in illis labores exantlarunt sua forsan periclitatione & experentia comperisse verisimile est. At quæ ad venditiones vernaculo sermone quædam nouitatum & narrationum inuitamenta habent, auidius a multis & ipsis prælis expetuntur. Sed de hortationum mearum ratione & libro in præsentia, & secundi in posterum institutione (si illum prosequi videbitur,) hactenus.

FINIS.

dentia, & spectatissimo eius documento in *Regiæ Maiestatis ad Angliam aduentu & hæreditarii Regni gratiosa susceptione.*

CAPVT. I.

VBi potius tantarum in ecclesia & Republica successionũ & successuum fundamenta iacenda sunt quam diuina in prouidentia, ex qua illa dimanarunt. Suprema illa potestas ex qua mundanæ omnes potestates & principatus ceu riuuli quidam e fonte decurrunt, omnium mundi huius administrationum statuum, & negotiorum summa & sola gubernatrix & dispensatrix est. Eius vim per omnia tranantem & penetrantem prouidentiam appellamus: ex qua omnes humanarum, rerum euentus, apti descripti & ordinati sunt. Huius vim compertam & expertam in se Dauid agnoscens, omnes (inquit) semitas meas *Psal. 139.* præuidisti. Prouidentiæ consonat hoc verbum præuidisti in vulgata Hyeronimi (vt appellant) Verbum (*Zerita*) *circumdedisti Santes exponit ac etiam ventilesti.* Qui sensus diuinæ prouidentiæ propinquum & exquisitum examen denotat. Ac vt Iob quid de se diuina prouidentia sta- *Iob. 23.* tuerit commenuit, Quum perfecerit (inquit) quod de me decreuerat, fecit quod aliàs sæpe ab eo factum est. Diuinæ prouidentiæ constitutum

(*Chok*) ex Hebræo exponitur, quod vulgata quodam verborum circuitu explanat, *Cumque expleuerit in me voluntatem suam.* Ac idem *Iob* de præfinitis vitæ humanæ terminis, qui diuina ex prouidentia dimensi sunt hoc verbum vsurpauit. Vitæ enim humanæ præstitutos terminos & vniuersum eius decursum & singulares euentus diuina prouidentia comprehendit. *Tu (vt* Dauid *inquit) procul intelligis cogitationes meas: non est verbum in lingua mea quod non vniuersum nouerit Domine.* Ac alibi idem Propheta, *Tu Deus (inquit) explorasti nos, & exquoquisti nos vt examinatum exquoquitur.* Metalli instar fusionem explorationem & speculationem verbum (*Saraph*) significat, quod prouidentiæ diuinæ propriorem vim & examen insinuat. Nam vt *Basilius* cognomento magnus diuinæ prouidentiæ per omnia diffusæ attestatur, *Omnia lustrat & conspicit ille pernicibus oculis, omnibus adest sic sit vt cuique; suæ prouidentiæ & salutis cuique præstet.* Sic *Basilius* diuinæ prouidentiæ vim explicauit.

Consonat illi simili non multo secus in sententia *Chrisostomus*: *Insopitum & perpetuo vigilantem illum oculum nihil eorum quæ fiunt latere potest.* Sic *Basilio* consentit *Chrisostomus.* Ad vnā comprehensionē vniuersam Dei prouidentiam *Basilius* ille magnus sic complexus est: *Nihil est prorsus, quod non sub prouidentia Dei cadit: nihil quod a Deo neglectum est.* Sic *Basilius.* Ac huius de prouidentia sententiæ affinis est illa *Origenis*, *Nihil sine eius prouidentia neque in cœlo neque in*

Iob 14.

Psal. 139.

Psal. 66.

Basi. in Hexa. hom. 7.

Chrisost. in Geneſi. homilia. 8.

Basi. in Hexa. hom. 7.

Orig. in Ge. hom. 3.

terra fieri certo & immobili dogmate profitemur.

Antiquæ etiam authoritatis scriptor *Arnobius* hac interrogatione gentes vrget mundus hic in quo degitis cuius est aut quis eius vobis attribuit fructum possessionemq; reliquit. De prouidētia dei arnobij hæc interrogatio est. Et *Chrisostomus* distinctius & particularius eius vim in singularibus excutiēs, semper (inquit) *fuit in dispositione quod factū est in operatione.* Ac suo vt interrogato respōdet *Arnobius*, Quis (inquit) *caput rerum est & fons nonne ipse? cui debet æternitas, hoc ipsum quo nuncupatur æternitas* Hactenus *Arnobius*, Concordat cum illo *Chrisostomus. Tempus* (inquit) *& absque causa nihil factum est.* Asseueranter etiam hoc *Arnobius* pronuntiauit. *Prima* (inquit) *in causa est & locus rerum & spectium.* Sic *Arnobius*. Præmittit *Augustinus* sæpius nominatæ & appellatæ fātum quadam inconsiderantia fortunæ quamuis eius vim humanis ab euentis penitus excluserit. *Quæ vulgo* (inquit) *fortuita nominantur accesito quodam ordine regitur: nihilq; aliud in rebus casum nominamus nisi cuius ratio & causa secreta est. Dixi quidem hoc uerum tamen pœnitet me sic illic nominasse fortunam cum videam homines in pessima habere consuetudine ubi dici debet hoc Deus voluit dicere hoc voluit fortuna.* Hactenus *Augustinus* causæ ignorationem & latebras quæ diuina ex prouidentia eruuntur fortunam & casum perualgato & tristo sermone communiter nuncupant. Sic hominum de fortuna & casu simplicitatem & insulsi-

Arnobius gent. li. 1.

Chrisostomus de lapsu Ho. 1.

Arnobius gen. li. 1.

Chrisostomus in ge. Ho. 10.

Arnobius gen. li. 12.

Augustinus retract. li. 1. c. 9.

Euseb. de vita constan. lib. 3. tatem coarguit & castigat etiam *Eusebius* ecclesiasticæ historiæ scriptor antiquus: est (inquit) *vox hæc casus reuera hominum temere errantium & irrationabiliter sentientium, & sua ipsorum verba non intelligentium: qui propter intellectus imbecillitatem hæc sine ratione disposita putant, de quibus ipsi rationem reddere non possunt.* Hactenus *Eusebius*. Et *Augustinus* nulla (inquit) religio prohibet dicere (verba illa) forte forsitan fortasse fortuitò. Quod tamen totum ad diuinam reuocandum est prouidentiam. Hactenus *Augustinus*. Vidit hoc *Cicero* licet nostræ religioni non initiatus, *fortuna (inquit) effecit multa improuisa nobis propter obscuritatem ignorationemq; causarum.* Quid fortuitò magis videtur posse accidere, quam sine destinata voluntate & insidiis improuisa hominis occisio? quid de tam fortuito euentu scriptura *Deus illum tradidit in manum eius.* Qui etiam in cædendis liguis, securis ferro derepente e capulo elapso internecina plaga hominem interfecit diuino iudicio sanguinis a vindicta absoluitur, et oppidi cuiusdam destinati in perfugium admittitur (quod scriptura pronunciante) *non est eum odio prosecutus ante.* Prophetæ diuini mandati interdictum ne panem aut aquam in Bethell gustaret violauit. Ac alterius senis Prophetæ in Bethell subornata et commentitia denunciatione inductus fuit, vt reuersus è via pane et aqua apud eum se reficeret. Sic ille mentitæ nunciationis subiector Prophetæ credulitati imposuit:

Aug. in retract. lib. 1. ca. 1.

Cic. in Ara.

Exod. 21.

Deut. 19.

qui

qui diuinæ prouidentiæ rupti postinterdicti pœnas dependit. Postea leo (vt scriptura refert) offendit eum in via, et interfecit. Ac asino a quo vehebatur, et leone interfectore cadaueri coniunctim et concorditer astantibus, quum hoc in Bethel renunciatum fuisset, et senis illius prophetæ ad aures peruenisset, qui mendatium illud male credulo prophetę a leone interfecto suppositum, hic vir (scriptura vt eius verba recitat) *rebellis fuit sermoni domini: idio tradidit eum Deus leoni qui discerpens eum interfecit iuxta verbum domini*, quod *locutus est ad eum*. Hactenus de interfecto a leone Propheta senis illius alterius in Bethel Prophetæ verba. Casu in leonem incidisse videri potuit, et fortuita et improuisa eius occursatio fuisse, sed dominus tradidit eum leoni, senis vt Prophetæ de eo elogium fuit. Casum communiter homines nominant primariæ causæ ignorationem. Et fortunæ et casui assignant, quod diuinæ prouidentiæ proprium et germanum est. Quos hæc Salomonis sententia notari *Musculus* declarauit, *non est velocium cursus non est fortium bellum, non est sapientium panis, non sunt intelligentium diuitiæ, et non est scientium gratia, sed tempore et casu eueniunt hæc omnia*. Sic illam Salomonis sententiam *Musculus* laudauit, et illam deinceps sic exposuit. *In seculo* (*inquit*) *videntur cursus, bella, victus, opes, et gratia coram hominibus haud quaquam pendere a viribus humanis sed veluti contingere casu. Reuera tamen pendent hæc omnia a prouidentia Dei*. Sic

1. Reg. 13.

Ecclesiastis 9.

Salomonis hanc ſententiam a male de diuina prouidentia ſententium errore. *Muſculus* vindicauit, et certa et explorata diuinæ prouidentiæ ad principia et precepta accõmodauit. Correctione ſcilicet errantium adhibita, qui ſuo ex ſenſu de rebus humanis iudicant: et quæ diuinæ prouidentiæ propria imprimis ſunt, ad caſum et fortunam inconſideranter et falſo tranſtulerunt externum et ieiunum verborum adhereſcunt ad corticem rerum inanes quæ ſenſus ſoliditatem et veritatem continent verbum hic Salomonis (*pega*) caſum ſignificare aſſerunt, ceu improuiſæ rei fortuitam occurſationem, cui verbum (*ikra*) adiunctum eſt quod accidendi et contingendi ſignificatu exponitur. Sed huiuſmodi verbis iuxta depraua tum illorum ſenſum et conceptum ſententia informatur. Illas nimirum humanarum facultatum præpollentes adminiſtationes fortunæ et caſui aſcribi, quæ diuinæ prouidentiæ vi et efficentia diſpenſantur. Et qui diuina de prouidẽtia *Salomonis* hanc ſententiam intelligũt (cui humanæ induſtriæ et facultatum agilitates et habilitates omnes ſubiectæ ſunt) non alium illis euentum aut caſum quam qui diuinitus deſtinatus eſt aſſignant. Iuxta fidei analogiam verborum ſenſus metiendi & moderandi ſunt, vt ſi quid abſonum ſonent quod veritati germanum eſt ſapiant. Homines quæ ſuo ex ſenſu et inductu verba proferunt veritatis ſanitati (quæ ſolidis principijs fulta eſt) preiudicare non debent. Illa etiam *Salomonis*

Eccle. 9

in sententia *Quia euentus filiorum hominum et euentus animalium et euentus vnus eis*, verbum (*mikra*) pro euentu vsurpauit, cuius verbi significatum Santes interpretatur, accidens, euentum, contingentiam, ceu contingentis rei improuisam et inexploratam causam et casum. Atque hoc etiam ex insipientium insulsa opinatione enunciatum fuisse ex R. *Salomone* Santes annotauit. Rationis enim ex comprehensione et iudicatu ista quæ in his externis tam consimilia et confinia sunt distingui & discriminari non possunt. Sed diuini verbi certissimis perceptis & fundamentis discernuntur & dijudicantur Quia ratio in his quæ captum eius excedunt, & quæ fidei ad normam expēduntur prorsus caligat, idcirco absurde diuinis in rebus & a sensu nostro abstrusis iudicat: ac in fortunam & casum transfert, diuinæ quod prouidentiæ germanissimum est. Quin errores etiam nostri & aberrationes diuina a prouidentia suos ad fines dispensantur & ordinantur. Aberrauit in itinere *Augustinus* & quodā flexu & diuerticulo recta a via diuertit. Sed ille *Augustini* error fælix fuit, nam collocatas sibi a donatistis in via insidias hac aberratione declinauit. Ac hoc erroris non mali exemplum *Augustinus* ponit. Nostros etiam errores Deus prouidentiæ suæ ad scopos ordinat. Ac illud psalmi cuiusdam in titulo (*shiggaion*) quod psalmodiæ speciem quidam interpretantur, a quibusdam Hebræorum errorem exponi. *Pagninus* annotauit: quod errauit di-

Eccle.3.

August. enchi. ad lauro.

cens canticum super ruina *Saulis*. Piorum errores & casus diuina prouidentia moderatur & disponit. Ac eius tanta in rebus humanis vis & potestas est, vt in moliendis & tractandis negotijs priuatis vel publicis, illa vel fælicitatem vel frustrationem illis adijciat. Diuinum illud per Prophetam *Ieremiam* pronunciatum est. Scio ô Domine quod hominis non est via sua, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Primo sententiæ in membro *Adam* posuit, quod hominum ab *Adamo* generale nomen est. Ac *Adam* nonnunquam in scripturis hominem inferioris & vulgaris conditionis insinuare nonnulli annotarunt. Ac secundo in membro (*iſh*) quamuis virum promiscue significet alicubi tamen primariæ & insignis notæ virum significare exponunt, præsertim cum articulo affixo insignité demonstretur. Propheticæ autem sententiæ generatim subiecta hæc est summa, neminem siue ex popularibus siue ex primarijs & principibus viris, suopte genio & ~~in~~ ingenio negotiorum nodos & difficultates persecare posse et expedire, nisi diuinæ prouidentiæ gubernaculo dirigatur & adminiculo sustentetur. Ac de *Nabuchadnetsare* Babiloniorum potentissimo Rege, particulariter & propriè hoc dictum exponunt: Non fuisse eum suæ potestatis, cum instructissimum exercitum contra Ammonitas & Moabitas duceret. Sed cum in bivio consisteret pendebat animi, vtrum contra Moabitas & Ammonitas, an contra Hyerusalem recenti con-

Iere. 10.

tra

tra se rebellione furentem exercitum conuerteret. Ac cum in dubium hac de re venisset diuinationum superstitiones consuluit, vt ethnecorum solemne est quam in rebus gerendis ambigunt, Sicuti de illo *Ezechiel* Propheta attestatur. Ac cum inaudisset Hyerosolimitanam cõtra se rebellionẽ efferuescere, vniuersam expeditionem contra Hierusalẽ & *Zedechiã* regem Iuda traduxit. Quomodocũque ille suis in consultis fluctuabat & rerum gerendarum occasiones & habilitates captabat, diuina tamen prouidentia hanc illi mentem iniecit, vt contra Hyerusalem & *Zedechiam* instructas copias contraheret. Diuinitus enim hoc factum est, vt defectionis & scelerum quæ inter Iudeos vigebant pœnas reposceret. Tanti est diuina prouidentia vt corda Regum ceu riuos aquarum quocunque voluerit flectat, *Salomone* hoc pronunciante: & tam principum quam plebiorum animos & actus pro sua potestate dirigat, & dispenset. Nec priuatis nec publicis in munijs rem facere, aut fælices progressus habere quantumuis gnari & experientissimi patresfamilias, aut Principes quãtumuis gubernationum scientes & facultatibus florentes possunt, nisi diuina illis prouidentia affulserit, & suo ductu & disciplina cæleste illis lumen prætulerit. Quod diuino a Psalte sic enunciatum est. Nisi Dominus ædificet domũ frustra molestias perferunt qui eam ędificãt nisi Dominus custodiat ciuitatẽ frustra vigilat qui custodit eam, frustra est quod mane surgitis & sero quietẽ capitis

Ezc. 21.

Pro. 21.

Psal. 127.

capitis, edentes cibum doloris, cum Deus concedat dilectis suis somnū. Hactenus tam in priuatis quam publicis rebus diuinam prouidentiam diuinus Propheta decantauit. Deo enim non annuente frustra ringūtur curis, & molestijs macerantur homines, frustra vorant panem illum ærumnarum & dolorum quem (*Lechem haatsabbim*) nuncupat, multifarijs molestiarum condimentis tinctū, nisi diuina prouidentia gratioso afflatu aspiret operi, & dolorū molestias cōmitiget. Alioqui hærebūt ad metas, & inchoatas et abruptas relinquent operas, nisi diuina illis prouidētia indulserit. Nec publicis nec priuatis in rebus fortunatum sortiētur successum quamuis impigre & nauiter adlaborent homines, nisi diuina prouidentia secundum illis cursum & progressum aperuerit. Sic hanc sententiam *Origenes* explicat nisi dominus ædificauerit: Homo (inquit) laborem impēdit & sollicitudinem, Deus autem successum operi tribuit, non quod nihil agat, sed comparatione Dei qui adiumentum dat operi & effectum. Hactenus *Origenes*. Quæ publicis vel priuatis mortalium in negotijs fortunatè & fæliciter administrantur, non humanæ solertiæ quantumuis sagaci & operosæ, sed diuinæ prouidentiæ ascribenda sunt. Sacrilegij maximi instar est in creaturis humi quærere, quod in sublimi debet inueniri, Quæcunque auspirato gesta sunt in terris, è cœlo suam fælicitatem adepta sunt, & diuinæ prouidentiæ è fonte effluxerunt: Sed causarum ignoratione

Orig. li. 7. in ca. 9. ad Ro.

noratione fortunæ & casus in nomen multi impingunt. Quamuis diuinæ prouidentiæ in claustris condantur quæ causarum in latebris delitescunt: Luculētis quippe euentis diuinæ prouidentiæ placita apertam in lucem euoluuntur. Postquam *Saulem* diuina per *Samuelem* prouidentia Regem Israelis designasset, multorū tamen adhuc suspensi erant animi, & fluctuabant in re tam recenti, insueta, & inaudita antegressis temporibus Regis in Israele potestate. At illustri deinceps Saulis de Naas Ammonitarum Rege victoria, diuina prouidētia ceu signo quodam diuinitus dato omnibus affulsit. At postea præeunte Samuele frequentissima concursatione, maxima in cōcione, Regnum Sauli in Gilgal instaurabant & confirmabant. Prius vero de eius principatu multi ambigebant, nec diuinæ prouidentiæ (cuius lumen *Samuel* illis præferebat) penitus acquiescebant. Sed post truculentam illam conditionē viris Iabes Gilead à Naas Ammonitarum Rege denunciatam, vt non nisi oculi dextri amissione belli abstinentiam cum eis depaciscēretur, populo complorante, reuersus ex agris *Saul* tam atrocis rei nunciatione inhorruit, & vehementer excanduit. Ac insilijt in illum Spiritus Domini (attestante Scriptura,) & diuino & heroico instinctu incitatus collectitio ex Israele exercitu Naas Ammonitam truces minas percrepantem fregit fudit & debellauit. Tum post diuinæ prouidentiæ tam apertam patefactionem perculsis, & obstupefactis omnium animis

I. *Sam.* 11.

1. *Sam.* 11.

animis Regnum *Sauli* certatim in Gilgal redintegrabant. At cum initiò à *Samuele* regno solemnibus sacris initiatus fuisset, fremebant contra illum conscelerati homines quos belial filios scriptura appellat, & admurmurabant quomodo iste nos seruabit? Et insolenter pro despecto illũ ducentes honoraria illi numera'non deferebant. At *Saul* ista silentio. Quid isti filij Belial? & verbi Belial quæ notio & explicatio est? sine iugo interpretantur: Diaboli in nominibus censetur; quo duce & signifero vtuntur, qui debitæ obseruantiæ & obtemperationis iugum ceruicibus suis excutere moliuntur. Quocirca qui aduersus legittimas quæ à Deo ordinatæ sunt potestates refractarij & rebelles sunt, merito filij Belial appellantur, quod diuinæ ordinationis iugum à ceruicibus suis deijcere præfracti & pertinaces homines conentur. At quamprimum per *Samuelem* in Gilgal diuinitus *Saul* Rex constitutus & renunciatus fuit, statim illum turmatim asiectabantur cohortes hominum quorum corda (vt Scriptura loquitur) Deus tetigit. Quid illa cordium tactio? Diuinæ prouidentiæ appulsus & impulsus. Eadem *Salomoni Dauidi* patri in regno successori diuinitus destinato sic hominum sensus imbuit & animos impulit, vt illi Regio in solio sedenti certatim & confertim acclamarint. Ac cum Adonitas filiorum Dauidis è numero & censu, diuinæ prouidentiæ se interposuisset *Ioabo* regi exercitus præfecto consiliatio & administro vsus, vterque

1. *Reg.* 2.

postea

postea tam præfidentis & prefractæ temeretatis & violatæ diuinæ prouidentiæ penas luit. *Salomoni* autem coronato & Regnum occupanti sic applausum est ab omnibus vt terra illorum clamoribus resonaret. Sic Regibus & Principibus diuina prouidentia sanctis & ascitis affatim & effuse omnium ordinum homines congratulantur. Illa hominum tibi subditorum tuorum (præclarissime Rex) corda tetigit, voluntates impulit, affectus inflammauit. Illa tantas occursationes acclamationes & applausus tibi ex omnibus regni huius territorijs longe lateq; in tuo ad hoc regnum accessu excitauit. Illa te ad hoc regnũ ab ipsis incunabulis progenuit, aluit, prouexit, et illud tibi tranquillum & securum hæreditariam in possessionem tradidit & ceu clarissima *Helice* diuinis & luculentis testimonijs omnium animis ac studijs præluxit. Dei nimirum accersitu M. V. in Angliam venisse, horum regnorum hæreditatem creuisse, ecclesiæ & reipublicæ vniuersæ procurationem & propugnationem suscepisse, patriæ nostræ parentem esse: loco indulgentissimæ matris deinortuæ esse cæpisse. Vidisti regio in aduentu non solum vias subditorum tuorum agminibus constipatas, sed gratulationibus & applausibus vndiquaque resonantes. Quid viarum memorem celebritatem, & quæ propatulis in locis gesta sunt? Certe intimis ex visceribus & præcordijs profusam tum nobilium tum plebeiorum in M. V. singularem amorem & charitatem 1. Reg. 1.

ritatem ex gestientium & plaudentium gesti-
bus & vocibus intimis in medullis gliscẽtem &
erumpentem percipere potuisti. Vnice à subdi-
tis tuis amaris & coleris, qui viscerum suorum
oppositus pro regia salute contra perduelles &
regiæ salutis oppugnatores obijcere parati sunt.
Certa (præclarissime Rex) hoc vere regium &
heroicum certamen cum subditis tuis; vt ceu
orbæ à parente ecclesiæ & reipublicæ parens à
Deo institutus pietate & amore certes subditos
tuos superare & vincere. Perge Regij amoris &
charitatis ceu tropæa quædam in ecclesia & re-
publica statuere. Illi vicissim suis in visceribus
& medullis gratiola monumenta Maiestati &
Regiæ sterpi vestræ perpetuo conseruabunt.
Quid secundum Deum M. V. expetibilius &
nobis & ecclesiæ & patriæ nostræ optabilius esse
posset? Prouidentiæ diuinæ ceu resonans
quoddam theatrum fuit Regius in Angliam ac-
cessus receptus, & regni confirmati fœlix & for-
tunatus successus. Mirantur, stupent homines,
& numinis planam & expressam prouidentiam
pie venerantur & amplexantur. Hoc enim tam
illustri diuinæ prouidentiæ spectaculo omnium
commoti sunt animi, aures salebant, oculi pas-
cebantur & vniuersa patria illis personabat. Cer-
tatim honoranda nobilitas & promiscua plebs
tui Maiestatis vestræ videndi auidissima ex pa-
gis & oppidis effusa, vestrum in hoc regnum ad-
uentum concelebrauit. Hoc certe in omnem
posteritatem prædicabile. Maiestati V. est nul-

lum

lum vnquam hoc in regno Regium ad solium ascendisse, qui primo quidem conspectu & congressione non solum nobilitatis sed vulgi etiam in oculos animos & intimos sinus influxerit & inuolarit. Sic gregatim confluebant, tantæ ex villis & oppidis hominum effusiones erant. vt in illis non tantum nobilitas & promiscua plebs tua sed ipsa etiã dulcissima patria nostra obuiam Maiestati V. procedere & illam intimis medullis accipere & amplexari videretur. Quid dicam venisse M. V. in Angliam ad quam vota & desideria nostra anhelabant, et eam videndi studio animi nostri suspensi erant et ad perfruendũ ea festinabant? Immo non tam venisse M. V; quam nobilitatis & plebis vestræ in amplexus ruisse, et intimis subditorum tuorum in sensibus et medullis hęsisse. Omnia gratulationum et gratiarum Deo habendarum plenissima erant. Optatissimus et oportunissimus Regis nostri in Angliam appulsus diuina prouidentia velut salutare quoddam sydus tranquillandis rebus nostris exoriebatur. Quantæ antea præsagitiones & rumusculi pererebrescebant, de procellis et turbinibus quos patriam vniuersam circumflaturos esse nonnulli opinabantur & ominabantur, Et derepente euangelicæ lucis ceu cælestis quidam fulgor Regio aduentu vniuerso in hoc regno resplenduit. Tranquillitatis et publicæ pacis portum tenebamus. Gratulationibus gratijs et precibus diuinæ maiestati profundendis ecclesiæ

et pulpita personabant. Nulla vnquam ætas de tantis rebus tam opportunè et salutariter ecclesiæ et patriæ nostræ euenientibus conticesceret. Hæc nos M v et vniuersæ patriæ nostræ verè et effuse congratulamur. Quippe non hæc fluxa cassa et pompæ instar prętereuntis volatica erãt, sed diuina prouidentia expressè et insignitè ad ecclesiæ suæ et patriæ nostræ, salutem dispensata Deus a quo non solum pij et præclari rerum cæptus sunt, sed earum etiam fœlices successus, et incrementa hoc M. V. Regiæ stirpi et ecclesiæ et patriæ nostræ perpetuò fœlix et fortunatum esse iubeat. Diuina a prouidentia et illustri eius in Regio ad hoc regnum accessu patefactione, tractationum nostrarum principia duximus. Et quoniam hoc cardine Regum et Regnorum fœlices administrationes vertuntur, secundo etiam capite de illa tractabimus, quod ex ea rerum gerundarum principia progressiones et exitus deriuentur.

Contenta.

In secundo de prouidentia diuina capite, eruditus hæc explicantur, Regibus & Principibus diuinæ prouidentiæ persuasionem summè necessariam esse, quòd ex illa non solum primata & propria illorum incolumitas sed regni totius & rerum gerendarum fœlicitas pendeat. Eandem ab omnis mali aspersione purissimam, Satanæ & improborum hominum malitiam & astus moderari,

rari ac ad præfinitos scopos dirigere & dispone-
re: & eandem omnes mortalium cuiuscunque
ordinis fortunas status & euentus gubernare &
dispensare. Ac eius etiam ij Regnorum vicissi-
tudines translationes & conuersiones dispensare
& ordinari.

CAPVT II.

SEcundus iste de diuina prouidentia tractatus in rem præsentem perquam necessarius est. Non enim solum in adeundis Principatibus diuina prouidentia euidenter et efficienter se ostendit, sed in illis etiam euendis, & Satanæ & improborum hominum efferata à rabie vindicandis. Quippe cum Satan cum membrorum eius vniuersa colluuione aduersus legitimas potestates præsertim quæ Dei colentes sunt, malitiosè & insidiosè se efferre machinantur. Hoc enim Satanæ et eius affectarum germanissimum esse solet, priorum Principum labefactare Principatus, gubernationes conuellere, potestates perfringere, sursum & deorsum miscere omnia. Sunque deq; illis de salute & tranquillitate Regnorum & rerum publicarum, pedibus modo trahantur omnia, modo pijs principibus illi clauum & gubernaculum exeutere de manibus possint quo Regna & respublicas pacifice & tranquille moderantur. Illis enim qui Satanæ sunt ex gregalibus hoc studij agrimè est, vt turbatis & conquassa-

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

tis Regnis & rebus-publicis, feeleribus ſuis paſcantur, aliorum rapinis locupletentur, & cæde & ſanguine ſaginentur. Quocirca Regibus & principibus diuina prouidentia certiſſime debet eſſe perſuaſa, ſine cuius nutu nec ipſe Satan, nec vniuerſa eius ſentina ſe contra illos commonere aut efferre poteſt. Dei enim ſub tutela ceu tutiſſimo quodam in receptu & perfugio fidenter acquieſcunt. Dauidicum illud verbum (*machſe*) quod diuinis auribus tam frequenter inculcat receptum & refugium ſignificat, vt eius vim & notionem *Trimmelius* cum *Iunio* de hebræo paſſim expreſſerunt. Quod diuinam ad prouidentiam ſe Reges & Principes & cuiuſque modi etiam homines quum in lubrico & ancipiti res eorum ſunt tanquam ad caſtellanum præſidium & tutiſſimum receptum ſi confugiant ſuarum adminiſtrationum & euentuũ ab illo ſucceſſum ſortientur quem ipſe Optimus maximus eorum ſaluti maxime expedire præſciuerit. Ex hoc propugnaculo (Rex præclariſſime) omnes periculum & hoſtium noſtrorum quamuis clandeſtinas aut apertas machinationes propulſabis.

Pſal. 21. Sicut *Dauid* felicem in rebus procurandis & adminiſtrandis diuina prouidentia ſucceſſum pius populus gratis Deo habendis gratulatur. *Nam Rex (inquiunt) fidit Domino & in benignitate altiſſimi non nutabit, offendit manus tua omnes hoſtes tuos dextera tua offendit omnes qui te odio habuerunt velut accenſum fornacem reddidiſti eos in tempore iræ tuæ, Dominus in ira*

ſua

ſua deuorauit eos et ignis cõſumpſit eos. Fructum eorum de terra perdidiſti & ſemen illorum de filijs hominum. Hactenus de *Dauidis* fortunata administratione victoriarum & ſucceſſuum cumulata diuinitus felicitate pius populus illi gratulabatur. Ac idem Propheticus Rex de ſuæ ſalutis & potentiæ magnitudine diuinitus amplificata & ſuſtentata, *magnificas (inquit) ſalutas Regis tui & benificijs proſequeris Chriſtum tuum Dauidem & ſemen eius in perpetuum.* Diuinæ beneficentiæ & prouidentiæ ſuam amplitudinem tribuit, quæ Regna & Regnorum adminiſtrationes & ſucceſſus moderatur & diſpenſat. Illa ſubditorum officioſam & ſubmiſſam obtemperationem Regibus & principibus conciliat. *Qui ſubdit (vt Dauid inquit) populos ſub me,* Illa inſuſurrantium & obſtrepentium admurmurationes & fremitus compeſcit. Eripies me (vt idem Propheta inquit) de contradictionibus populi. Illa ſi quid contra pios Reges & Principes concrepuerit diuinæ opitulationis portum & perſugium illis aperit. Hanc ſi tu (Rex inclyte) Regiæ adminiſtrationis in munijs & diuini cultus propagationè patronam & adiutricem tibi ſedulo comparaueris tum per quàm conſolabilis & amabilis ſubditis veſtris Regiæ gubernationis poteſtas futura eſt tum perduellibus & hoſtibus domi foriſque oppidò quam formidabilis. Nec qui rebellionum aut perduellionum fabricas moliuntur, nec ipſe Satan, nec eius membra, quantumuis

Pſal. 18.

Pſal. 18.

Zach. 3.

rabie efferata Regiam potentiam diuina proui-
Ad 1. dentia sustentatam carpere & conuellere pote-
runt. Illa ex *Zacharia* Propheta reprehensio-
ne diuinitus percelluntur, *Reprehendat te Deus Satan qui elegit Hyerusalem.* Contra Iobum
Luke 8. nisi concessa prius licentia se commouere non
potuit. Nec Gadarenorum in regione illa dæ-
monum legio sic nuncupata, nisi precario im-
petrata prius a Seruatore venia se porcorum in
gregem inferre potuit. Diuinæ prouidentiæ
repagulis & limitibus illa immanis et rabiosa
Satanæ et membrorum eius malicia coercetur
vt vltra præfinitas sibi ab ea metas prorumpere
non possit. Ac vniuersa illa conscelerato:um
colluuio diuinæ prouidentiæ septis inoluditur,
vt ne lineam quidam quam illis fixit quantum-
uis ferociant transire valeãt. Hoc enim est quod
in secũdo hoc de diuina prouidentia capite, se-
cundo etiam loco proposuimus. Deum ab om-
nis mali labecula alienissimum, Satanę et mem-
brorum eius malitiam ad fines sibi præstitutos
iustissimo iudicio dirigere et ordinare. Atque
hoc imprimis a nobis pręmuniendum est, ne
calumniandi ansam rapaces aures arripiant,
nos diuinam prouidentiam alicuius mali com-
munione ac participatione aspergere, hoc e-
nim in ista diuinæ prouidentiæ descriptione
fundamenti instar constituimus, eam iustissimo
iudicio Satanæ et improborum hominum ma-
liciam, quæ ipsorum solummodo propria et
vernacula est, suos ad fines dirigere et dispone-

re,

re, quum ipsa ab omni eius aspersione et contaminatione integerrima purissima sit. Ac cum Propheta *Habacuc* sic diuinæ in iudicandis et ordinandis rebus puritati attestatur. *Mundi* Haba. 1.
sunt oculi tui ne videas malum & respicere ad iniquitatem non poteris. Sic Propheta diuina ab omnis mali aspersione integritatem et puritatem pronunciauit. *Ac Dauid (vt attestatur)* Psal. 11.
oculi eius inspiciunt, palpebræ eius explorant filios hominum. Ac alibi idem Propheta, *iustus es Do-* Psal. 33.
mine ac rectum iudicium tuum. Et diuinorum operum dispensationē percensens *Dauid, Rectum est verbum Domini & omnia opera eius in fide.* Et diuinus quo amor incumbat idem explicans, *Amat inquit iustitiam & iudicium Dominus, bonitate domini plena est terra.* Ac diuinus *Paulus* hominum iniustas aduersus diuinas Rom. 9.
dispēsationes admurmurationes huiusmodi deprecatione et detestatione retundit: Num *iniustitia est apud Deum? Absit (inquit)* Et sic quiritantes adhuc aduersus diuinam iustitiam, & eius summum in dispensandis rebus æquitatem coarguentes argutis verbis incessit & refutat Paulus. *Tu ô homo quis es qui ex aduerso respondeas Deo. Num dicit figmentum fictori cur me ita feceris? An non habet potestatem figulus in lutum vt ex eadem massa faciat aliud quidem vas in honorem aliud in contumeliam.* Sic diuinæ iustitiæ interpellatores & iniquissimis responsis contra illā garrientes (quos ἀνταποκρινομένους appellat) obiurgat & retellit, Nos ipsi diuinis in iudicijs

caligamus: si quid in illis offensiunculæ nobis contrahimus, aut aliquas in contrarium quærimonias nobis affingimus lusci et lippientes solum incusamus. Nostrorum oculorum depraua affectio est non rerum aliqua distortio & deprauatio. Quod nostræ intelligentiæ captum superat, & iudicij acumen perstringit piè et submisse potius veneremur, quam morosè & accusatorie ventilemus et vellicemus. Nostrarum mentium inopes conceptus & perangustos complexus multa diuinorum iudiciorū in altitudine effugiunt. Quid mirum! ne ipsę quidem Cherubin et Seraphin altius introspicere diuinæ naturæ reconditam et incomprehensam substantiam, et iudiciorum abstrusam
Esa. 6. in profundo altitudinem possunt, quam illis speciatim à Deo indultum est, et eorum ad perceptionem à Deo informantur: Proinde Seraphin duabus alis faciē suas velare in *Esaia* discribuntur, quod illam diuinæ naturæ infinitatem et fulgorem nisi pro naturæ suæ modo (quem à Deo attributum et emensum habent) capere et sustinere non valeant. An nos igitur non dum absterſa naturæ nostræ quæ nobis insitiua est caligine et fuligine, argutis oculis Diuina iudicia quæ in profundo abdita et velis quibusdam et integumentis operta sunt scrutari et inuestigare posse existimamus? An nostri acuminis arrogantia inflati nostræ rationis vsitata et peruulgata intrutina, quæ multis defectibus nutat, diuina iudicia omnibus numeris

ris absoluta expendere nos posse arbitramur? Suprema illa diuinæ prouidentię amussis omnium iudiciorum quantumuis argutorum lances et momenta deprimit. Quæ non capimus reuerenter suspicere debemus. Nobis videntur quædam absona in quibus impingimus. Atq; diuinæ prouidentiæ ad harmoniam omnia cōcinunt. Nos offendimus ad salebras, at quæ nobis aspera et confragosa videntur diuinæ prouidentiæ suprema norma cōplanantur et coæquantur, quamuis nostræ intelligentiæ imbecillem captum exuperent. Et quum diuinorū operum abdita et secluſa ad mysteria penetrare non possimus, tum consectarium hoc est vt diuinæ prouidentiæ ad placitum tanquam ad *Petram* adhæreſcamus. Omnium namq; rerum authorem et dispensatorem Deum ita esse profitemur, vt ab omnis mali communitate et contagione prorsus immunis sit. Satanæ et impiorum malicia et viciositate quæ ipsorum propria et peculiaris est, vtitur ad fines prouidentiæ suæ destinatos. Ipse tamen ab omni malitiæ næuo et offensiuncula liberrimus et alienissimus est. Ac vincit cum iudicatur iuxta illud ex vulgata ad *Romanos*. Suæ prouidentiæ instrumentis vtitur ad scopos sibi præstitutos. *Bonarum voluntatum effector & malarum ordinator vt Augustinus pronunciauit. Dispensatori bono Deum assimulauit* Origines, *qui cuiusque moribus nutibus & proposito vtitur ad ea opera faciēda quæ cuiusque animus & voluntas eligit. Nec tamen*

Rom.3.

Aug. de ciuit. Dei, li.11 cap.14.

Orig. li.7. ca.9. ad Ro

Rom.9.

Phil.2.

Rom.9. tamen volentis aut currentis est sed (vt Paulus
Phil.2. testatur) Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro sua bona placita.
2.Cor.3. Omnis enim nostra facultas (quæ ex verbo ἱκανότης sufficientiam ex Paulo interpretantur) ex Deo est. Ille voluntates hominum ad bona flectit et format. Sed illorum vitiositate et malitia, quæ ab illis seorsum et peculiariter proueniunt est, prouidentię suæ ad placita et destinatos fines disponit et ordinat: Et quicquid mali parturiunt et pariunt homines, id totum sua voluntate et sponte, sine vllo coactu, ac aduentitia necessitate quæ vim illorum animis affert moliuntur, machinantur, et exequuntur. *Prouidentia*
Orig. contra Celsum li.2. *diuina* (vt Origenes *inquit*) *necessitatem non imponit rebus, nec ideo fiunt quia præscita sunt, sed ideo præscita sunt quia futura erant.* Sic *Origenes*. Nullum ergo hinc patrocinium aut excusationem impij homines pretexere possunt, quasi suæ voluntatis et potestatis in agendo non sint, quum propensa et profusa voluntatis inclinatione inductu et studio nepharias res aggrediantur, et quod penes se est exequantur. Deus
Orig. li.7. in Cels. ad Ro. *vt sapiens paterfamilias* (Origenis *vt altera similitudo est*) *multorum abundat & vtitur seruitijs* Ac claudorum vt equorum agitator (*Petri* martyris vt vtar similitudine) illorum claudicationem manifestam facit, quamuis illam non facit. Sic malorum vitiositatem intimis in medullis abditam et hęrentem et ad scelera procliuem, Deus iustissimo iudicio excitat, in

propatulum

propatulum producit, et prouidentię ſuę ad
prędefinitos fines diſponit et ordinat. Quid
ergo dicemus vt *Paulus* diuinę iuſtitię obloquentibus os obſtruit. *Num iniuſtus eſt Deus,* Rom.3.
q̃ iram inferat? (humano inquit more loquar) Abſit, alioqui quomodo iudex eſſet mundi. Nos ex craſſa & concreta terræ materia conflati, hebetes ſumus ad diuina iudicia (quæ altiora & occultiora ſunt) exquiſitè limanda & excutienda. Reuerentiæ concedatur quod proſpicientiæ denegatur: Nonne *Dauid* quamuis rerum diuinarum ſciens et ſagax Propheta, quum impiorum hominũ in hoc mundo ad proſperitatẽ ſtupeſceret ingenuè faſſus eſt, *Et ego bardus eram* Pſal.73.
apud te. nec quicquam intelligebam et velut iumẽtum eram apud te. Craſſę ignorationis, hominẽ verbum *Baar* ſignificat, quem etiam ſenſum verbo *Behemot* conduplicauit, quod iumentum interpretantur. Ac Propheta pecudis inſtar diuinis in iuditijs ſe attonitum hęſitaſſe inſinuat, donec diuinę ſapientię in ſacrarium ingreſſo diuinum lumen ipſi illuxiſſet et illam caliginem diſpuliſſet. Qua ergo diuinorum iudiciorum quę occultiora ſunt in caligine verſamur? Et quæ mentium noſtrarum cęcitas eſt niſi diuini Prou.25.
verbi lumen nobis pręteratur? *Qui ſcrutator eſt Maieſtatis. (Salomone pronuntiante) obruetur a gloria.* Proinde iudicia quæ diuina ſapientia in operto eſſe voluit, curioſè & temerè ventilanda et veſtiganda non ſunt. Sed ea quaſi ſub ſignis quibuſdam & clauſtris recondita modeſte reuereri et ſuſpicere debemus. Exploratiſſi-

Psal. 115. mum hoc ſcripturę teſtimonium eſt, *Deus noſter in cœlis quæcunque voluit fecit.* Ille inuicta prouidentia ſua omnes mortalium fortunas ſtatus & euentus gubernat dirigit, & diſponit. Quod in hac tractatione proximo iam loco à me propoſitum fuit. Perquam conſolatoria eſt Regibus pręcipuè & Principibus et omnibus omnium ordinum hominibus diuinæ prouidẽtiæ certa perſuaſio, de Satanæ & membrorum eius refrenanda & coercenda malitia. Quantumuis enim odio flagrent contra pios, diuina tamen prouidentia ceu quoſdam in gyros coguntur, vt ſine eius conceſſu nihil contra eos attentare & aggredi poſſint: ſed in irritum omnes illorum quantumuis veteratorij & inſidioſi conatus recidẽt. Ac illa mortalium omnium fortunas ſtatus & euentus gubernat & diſpenſat, & deſtinatos ad fines ordinat: quod huius quam in manibus in pręſenti habemus tractationis eſt. Quid pijs omnibus & Deũ reuerentibus cuiuſque modi ſunt conſolabilius eſſe poteſt, hac diuinæ prouidentiæ erga illos diſpenſatione & indulgentia? Hæc enim aſſiduè illorum ad ſalutem & in columitatem aduigilat: hæc omnes qui humanam in vitam incurrunt euentus contemperat, & ipſorum commoderatur ad ſalutem. Ac ſicuti hominum ſolemne eſt vt quos in amoribus habent, arctiſſima neceſſitudine ſibi coiunctiſſimos crebro inuiſant, ſic Deus ſui colentes prouidentiæ ſuæ indulgentiſſimis gratijs et officijs aſſidue ſolatur et inuiſit.

Hanc

Hanc diuinæ prouidentię in mortales propensionem admiratur *Dauid*, Quid *inquit est homo cui ab æruminis est nomen, enosh, quód memor es eius et filius Adam quód visitas eum.* Et *Iob* de illa etiam visitatione gratijs habendis Deo sic illum affatur, *visitatio inquit tua custodivit spiritum meum.* Prouidentiam leo Iudæ visitationem hanc interpretatur. Et verbum (*pekudda*) non solum præfecturam, sed diuinam prouidentiam et eius procurationem significat, ad res nostras suo pro arbitratu nobis vt expedire presentit dispensandas visitationem vulgata vertit. Quæ particulatim diuinæ prouidentiæ administrationem et executionem, & in conseruandis singulis eius dispensationem insinuat. Cognati sępe ex hebræo sensus eodem ex verbo funduntur et in vnum coalescunt. *Chrisostomus* super illud diuinum in genesi effatum, Non permanebit spiritus meus in homine in eternum quia caro est, *Spiritum sibi exponit vim illam qua nostri curam agit.* Quam diuinæ prouidentiæ teneritatem in pijs attętissimæ illi curæ qua oculi pupillam homines prosequuntur *Zacharias* propheta assimilauit. *Qui vos tangit (inquit) pupillam oculi eius tangit.* Hinc tenerima illa *Dauidis* obtestatio, *Custodi me vt pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me.* Sic diuinæ prouidentiæ erga ecclesiam & pios indulgentiam et teneritatem *Esaias* Propheta explicat; *Numquid obliuisci potest mater infantem suum vt non miseriatur filij vteri sui? Acsi illa oblita fuer t,*

Psal. 8. Iob 10. Chri. ho 22 in Gene. Zacha. 2. Psal. 17. Esay 49.

ego

ego tamen non obliuiscar tui. Diuinum hactenus per *Esaiam* pronunciatum. Ecce tibi huius teneritatis in prouidētiæ diuinæ disp̄latione expressa exemplaria in *Iacobo*, *Isaako*, *Abrahamo*, *Daniele*, *Iosepho*, et alijs eius pijs et assiduis cultoribus et affectatobibus. Quum in expedito esset *Iacob* ad iter in Carran ad Labanum, a paterna iam domo derelictus, et mundi huius amicis destitutus erat. Ac prima post itineris ingressionem die appetente iam nocte, humi stratus, lapidum puluinaribus vsus, diuinæ prouidentiæ profusionem et indulgentiam inibi expertus fuit. Nam post cælestium rerum incomparabilem benedictionem, sic illum Deus prouidentiæ suæ assidua affectatione solatus est. *Ge. 28.* *En ego adsum tibi & custodiam te quocunque fueris profectus, & reducam te in terram istam, neque desinam te donec fecero quæcunque ad te loquutus sum.* Hactenus diuinæ prouidentiæ consolabilis patefactio *Iacobo* in Bethel facta. Qui oblata hac occasione loco illi nomen elationem Bethel futurorū ex præsagitione indidit. Ac *Isaak*, *Iacobi* pater quum fame impulsus ad *Abimilech* Regem in Gerar migraret, diuinæ prouidentiæ anticipatione et solacio ad hanc peregrinationē præmunitus fuit. *Ge. 26.* *Incola sis (inquit Deus) in hac regione et ego ero tecum benedicamque tibi. Nam tibi et semini tuo dabo omnes terras istas.* Sic illum ante migrationem in Gerar diuina prouidentia diuinis et mundanis solatijs et beneficijs præfulcit. *Chri in Ge. hō. 52.* Ac vt *Chrisostomus* diuinæ prouidentiæ vim

in

in illo amplificando annotauit, exaltatus (inquit) & proficiens maior erat. Ac postea potentiæ suæ tanta accretione, quæ diuina ex prouidentia augescebat, ipsi *Abimelech* Regi formidini esse cœpit. Vt illum igitur sibi haberet fœderatum satagebat. Ac *Isaaki* pater *Abrahami* diuinæ prouidentiæ compellatione & ductu patria emigrauit in terram Canaan. Et quum ingraueſcente postea fame in Ægyptum descendisset, diuina prouidentia & illum & Saram vxorem eius a Pharaonis raptu inuiolatam & incorruptam seruauit, vindicauit, & liberauit. Diuina etiam postea prouidentia collocupletatus & auctus tantam ad potentiam creuit, vt suis ex vernis & fœderatis Æschol, Aner & Mambre trecentorum hominum amplius exercitum fecerit, & instructis copijs noctu in quatuor Reges irruerit, illos fugarit & fuderit, & *Lot* captiuum ab illis reduxerit & prædatorum rapinas recupauerit. In *Iosepho Iacobi* charissimo filio diuina prouidentia clarissimis documentis se patefecit. Hanc ipse *Ioseph* postquam variatis tot humanorum casuum vicibus tantam ad amplitudinem in Ægypto ascendisset, vt secundum *Pharaonem* neminem secũdarium aut sibi superiorẽ habuerit ingenuo recognouit. Ac quũ fratres præsentia & potentia sua consternatos ac inter se frementes cerneret, diuinæ prouidentiæ dispensatione & prædicatione illos erexit. Quanquamuis enim varia & multifaria diuinæ prouidentiæ in illo opera fuerunt, illa totius vi-

Gen. 14

ta

tæ eius in decursu omnium dispensatrix & moderatrix fuit. Et patris postquam è sinu & complexu ab ætate ineunte abstractus erat &
Ge 39. in Ægyptum venundatus, ibi Putapharis naufragus in seruicio, ac ab illo in carcerem con-
Ge.39. iectus in custodia detinebatur. Diuina tamen prouidentia tantam ad amplitudinem & potentiã ascendit, vt supra omnes in Ægypto emineret, et omnibus secundum *Pharaonem* potesta-
Ge.41. te præpolleret. Ac tantarum rerum effectricem & potentiæ suæ exaggerationem diuinæ prouidentiæ sũmisse & prolixè assignauit. Quum famis vrgente necessitate et impulsu, fratres suos diuina prouidentia ad se attractos videret, et mutuum se subaccusantes, tenêre se amplius non potuit, quin illorũ se in sinus et cõplexus effunderet. *Ego sum (inquit) Ioseph frater vester*
Ge.45. *quẽ vendidistis in Ægyptũ. Nunc igitur nolite mœrore confici neque commoueamini intra vos, quod me huc vendidistis, Quoniam ad conseruationem misit me deus ante vos.* Non solũ mortaliũ ærumnæ sed secundæ etiam res diuina prouidentia dispẽsantur. Et qui præcipites & tragici videntur esse casus, diuinum ad arbitratum temperantur & disponuntur. Propheta *Daniel*, cum tribus eodem ex commilitio sodalibus suis diuinæ prouidentiæ illustre spectaculum nobis exhibet,
Dan.2. Honorato *Daniele*, *Sadrach*, *Mesach*, & *Abednego*, qui veteri eius ex sodalitate & captiuitatis è conuictu fuerunt, rogatu eius præfecturis & honoribus affecti erant. Isti tres

quod

quod *Nabuchadnetsaris* idolomania furentis idolū adorare detractauerunt, fornacis flagrātis exincendio diuina prouidētia liberati erant. Ipse etiam *Daniel* quod consuetis ad Deum supplicationibus triginta dierum inter-vallo abstinere noluit, leonum in caueam proiectus fuit. Ac Angeli a Deo missione ora leonum obstruente singulari prouidentia miraculose seruatus est. *Mardocheus* Asuerī Regis sedens ad ianuam, quòd *Hamane Agageo* honorem habere & coram procumbere cum alijs recusaret *Hamans* sollicitatione & Regij deplomatis impetratione occisioni cum Iudeorum vniuersa gente ad præfinitum diem addictus fuit. Diuina tamen prouidentia Reginæ *Hesther* interpellatione, ab interneçina cæde cum Iudæorum vniuersa gente liberatus fuit. Ac *Haman* altum in patibulum sublatus fuit, quòd *Mardocheo* ante fabricandum curauerat. Et *Mardocheus* tantis diuina prouidentia periculis defunctus, tanta in posterum tempus gratia & authoritate effloruit, vt (referente Scriptura) magnus esset in domo Regis, & fama eius exiuit per omnes prouincias, *Quia vir ille Mardocheus promouebatur & magnus fiebat*. Sic diuinā prouidentiā in augendo et amplificando *Mardochei* scriptura cōmemorat. Vltimo libri *Hesther* hæc clausula est, *Erat enim Mardocheus Iudeus secundus a Rege* Asuero, & magnus inter Iudeos, acceptus denique multitudini fratrum suorum, studens populi sui saluti, & pacem curans omnibus posteris suis. Hæc

Dan. 3.

Dan. 6.

Hest. 5.

Hest. 7.

Hest. 9.

libri

libri Hesther extrema sententia est, quæ diuinã in euehendo *Mardocheo* prouidentiam explicat: Et quid illi animi & studij fuerit, & quos ad scopos suam illam magnitudinem intenderit. Fluxa alioqui et tragilis mundana magnitudo est, quæ se non Deo ad gloriam & piorum ad consolationes & vsus attemperat & accommodat. Sic prosperarum rerum et pariter aduersarum vicissitudines diuina ex prouidentia depromuntur: tam illæ quæ vniuerse regionibus et rebus publicis quam quæ sigillatim et seorsum singulis obueniunt. Ac de infusa in animos & actus nostros diuina prouidentia *Arnobij* antiquitatis scriptoris venerandi doctrina est vbiq; non tantum proximum nobis Deum esse sed infusum. Et non tantum sub illo nos agere sed cum illo viuere, de *Rachele* ad Puteum *Iacobo* peregre aduenienti obuia *Chrisostomus*. Misericordi inquit Deo omnia prædisponente Deus suam adhibuit cooperationem.

Chriso. ho. in Gen. ho. 55.

Chrisost. in Gen. ho. 52.

Ac idem diuina de prouidentia linguam [illegible] dirigere seruit (inquit) ignorãs voluntatem Dei. Ac antea, dispensauit (inquit) Deus et sic fuit. Nec solum humanas administrationes & negocia sed illorum etiam apparatum et instructum diuina prouidentia disponit. Equus (vt inquit *Salomon*) instruitur ad diem belli sed salus a Domine datur. Et *Salomon* de diuina prouidentia iustos et eorum seruicia complectente, Iusti (inquit) & sapientes et eorum serui in manu Dei sunt. Consolatorium valde hoc pijs est, diuina

Prou. 21.

Eccleſiaſtis 9.

prou-

prouidentia & potentia tum ipsos tum seruos ipsorum gubernari & conseruari. Nec ad humanum solum genus & publicas & priuatas hominum negociationes diuina prouidetia extenditur, sed omnia tranat et permeat vis eius et efficentia: cœlum, terras, maria, bestias, pecudes, volatilia aquatilia, reptilia, pisces et per omnia animalia, et animata et illorum fœturas incrementa, diminutiones & detrimenta penetrat. Ac ex illis diuinæ prouidentiæ insignia et explorata documenta & argumenta submministrantur. Diuinus *Iob* ex illis diuinam prouidentiam & potentiam qua illa dispensat luculenter et insignite argumentatur. Et nos ablegat ad illa quamuis rationis expertia diuinam vt prouidentiam manifestè & argutè illis impressam nos edoceant. Verum interroga (inquit) quæso pecudes & vnaquæque docebat te, & volucrem cœli qui referet tibi, vel institue colloquium cum terra et docebat te, pisces etiam maris narrabunt tibi. *Iob* 12.

Basilius cognomento magnus diuinam prouidentiam impensè admiratur in piscium conglobatis gregibus longinqua maria Dei nutu et instinctu sub vna (vt ait) tessara tranantibus. Quod (inquit) Regium edictum? Quæ tabellæ in foro positæ? conspicis diuinam institutionem ordinemque cuncta complentem & omnia penetrantem. Hactenus *Basilius*. Ac idem deinceps postquam in ista piscium cõfertissima traiectione diuinam prouidentiam piscium fœturæ & salubritati sa-

Basil. in Hom. 7.

luariter prospicienti explicasset, *Vidi ego mea* (inquit) *haec ipsa ita fieri, & opificis Dei cuncta penetrantem administrationem; sapientiam sum admiratus.* Sic *Basilius.* Ac idem vbi in erinaceo æquorio diuinæ prouidentiæ impressa vestigia exposuisset, hominum stuporem ad diuinæ prouidentiæ lucem & dispensationem in seipsis agnoscendam expergefacit, & acuit. *Erinaceum* (inquit) *Deus à sua prouidentia non excluſit, & ea quæ ad te pertinent non explorat non conspicit non gubernat?* Sic *Basilius* crassam & oscitantem hominum diuina de prouidentia stupiditatem incessit & obiurgat. Ille diuina opera contemplans in creaturis, & multiplicem in illis diuinæ prouidentiæ vim & administrationem reuerenter suspiciens, crassam & bardam mortalium inconsiderātiam & stuporem de prouidentiæ diuinæ humanis in rebus efficentia & dispensatione acriter coarguit. Magnus enim illorum numerus est qui diuinæ prouidentiæ ad vim & dispensationem obsurduerunt. Illi nimium sibi præfidentes & præfracti sunt, & rerum suarum sæpe mole & ruinis opprimuntur. Illi subita diuinitus irruptione & impressione in eos facta facultatum & fortunarum suarum *in vado* hærent & in præceps ruunt. Sic de huiusmodi Ecclesiastes, *vt pisces hamo noxio, & vt aues capiuntur laqueo, ita homines illaqueantur periculoso tempore quum eos improuisus casus obruit.* Hactenus in Ecclesiaste *Salomon.* Illi quia diuinæ prouidentiæ in stabilitate non acquiescunt, sua mobilitate

Basil. in Hexa. ho. 7.

Basil. in Hexa. ho. 7.

Ecclesiastis. 9.

litate, vt quisquiliæ (quibus impios *Dauid* assi- *Psalm. 1.*
milauit) a vento dispelluntur. Et securi qui sunt
diuina de prouidētia animi subita diuinitus pla-
ga ipsis imposita percellūtur. Quid illis in tanta
mundanarū rerū mutabilitate et mobilitate ha-
bile & immobile esse potest? Diuinæ prouidentiæ
à iactis & actis fūdamētis quū defluxerint, par-
tim fortuitò labi et volui res humanas putāt,
partim humano ex arbitrio & volūtate aptas et
descriptas pro cuiusq; ingenij instinctu, et impe-
tu fluere et variari. Ac nimis scrupulosam et enu-
cleatā hanc de diuina prouidentia doctrinā esse
arbitrantur, quæ omnia penetret, perlustret, et
dispenset. Et illam quā sibi fingunt prouidētiam
non tam exquisitè et enucleate res humanas in-
trospicere gubernare et dispensare. Sed eas pro-
rerum ipsarū quadā habilitate et volubilate fer-
ri, pro cuiusq; naturę, fortunę, et genij momēto,
ductu, et impetu. Propriæ igitur solertiæ et sa-
gacitatis fidentia cæcati, suarum molitionum lu-
bricos et incertos ad euentus pro virili cōnituntur.
Ad quos omnes naturæ facultates & agili-
tates excitant, et rerum gerendarum instrumē-
ta & adiumenta conquirunt. Sed Deum vni-
uersitatis huius machinam et molem guberna-
tem & ordinantem ex suo sensu somniant, non
tā exiliter et exactè particulares mortalium ad-
ministrationes & status exeutere et attendere:
Sed eas cuiusque solertiæ industriæ et fortunæ
(quam sibi quisque conflare potest) relinquere.
Verum hoc diuinæ naturæ proprium esse e *Ar-* *Arno. adu. gentes. lib.*

bius scribit sua vi complere omnia vbiq; esse totam vbique præsentem (vt inquit) astra cum supra terras meant omnibus omnino cernentibus statim sunt & vbique præsentia. Dei prouidentiam & presentiam, in omnes creaturas & administrationes manantem et diffusam (cæteroquin ab omnis mali contagione liberam et immunem solis et astrorum comparatione, creaturæ scilicet ad Creatorem adumbrauit. At *Basilius* sic futiles et volaticos mentium nostrarum conceptus contra diuinam prouidentiam venientes retundit. Ad te (inquit) non pertinet te non explorari, non conspicit, non gubernat? Hæc enim diuinæ prouidentiæ germana vis & efficientia, est omnium se extendere ad administrationes, omnium negotiationes explorare & gubernare. Ne ergo vlla nos et administrationes nostras secretione diuina a prouidētia diremptas existimemus, sic illam speciatim & efficienter se rebus nostris ingerentem *Basilius* explicauit. Ac illam diuinæ prouidentiæ attentionem & argutiorem inspectionem & dispensationem sic Diuinus psaltes describit, *De firmo inquit domicilio habitationis suæ cunctos habitatores terra speculatur qui finxit sigillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum. Non seruatur rex eo quod multum habuerit exercitum, heros nequaquam per multam virtutem suam pericula euadit: Res fallax est equus, ad prestandam salutem quamlibet mul-*

Basil. in Hexa. hom. 7.

Psal. 33.

to præditus robore nequaquam eripiet. Ecce oculus Domini (inquit) in eos qui se reuerentur, et ad eos qui sperant in misericordia eius hactenus, prouidentiæ diuinæ prophetica explicatio. Principiò Deum cælorum è specula dispicientem et perlustrantem res mortalium describit: & propinquum illum & qui commus sit acrem & defixum rerum humanarum aspectum verbo *hisgiach* expressit. Quo per omnia tranantem & omnia excutientem & penetrantem diuinæ prouidentiæ procurationem & dispensationem significauit: Ipsorum etiam cordium recessus & latebras perscrutantem & rerum externarum instrumenta & adminicula dispensantem. Non enim exercitu quantumuis numeroso instructu Rex (vt ait) salutem sibi ipsi procurare potest, aut rerum suarum satagere: fallax & mendax equus est ad salutem. Efficacius per verbum *Sheker* quod mendacium significat sensum & diuinæ prouidentiæ effectum Propheta expressit. Abstracto (scilicet pro adiecto insignem equitatus & apparatus humani frustrationem notans. nisi diuinæ prouidentiæ vi et firmitate roborentur. Quid equus ad res præclare gerendas? quid phalanges cataphractorum & quantumuis firmus & instructus ab equitatu exercitus? Mendatium est, vt propheticum verbum designat, quòd frustratæ expeditionis vanum furdemque euentum insigniter demonstrat. Quid ergo humanarum facultatum instructus & apparatus, diuina prouidentia non annuente &

corroborante? omnia in irritum recident; frustrabuntur qui humanis facultatibus fidunt. Quantumuis exaggerata & exaggerata humanis viribus & potentijs, nisi diuinitus communiantur ruinas agent & mole sua ruent. *Equus enim vt ex Salomone in Prouerbijs commemorauj instruitur ad diem belli, sed a Domino salus datur.* Prou. 21. *Danidici* modo commemorati psalmi hoc sub finem contextarum est. Ecce (inquit) oculus Domini intendit in eos qui se reuerentur, et ad eos qui misericordiam eius expectant: vt liberet a morte animas eorum, et alat eos in fame. Consolabilis hic ergo de meritibus de prouidentia eius Prophetæ sententia est. Quid prouidentia diuina *Dauidis*? oculus Domini in sui timentes defixus, illorum aduigilans ad salutem. Quos ille diuinæ prouidentiæ ad spectaculum expergisciens, ceu cœlesti quodam celeusmate excitat, Ecce inquit oculus domini super reuerentes se, vt liberet a morte animas eorum et alat in fame. Specialiter hæc nominauit, sed vniuersè ad omnes qui humanam in vitam incurrunt casus extenduntur. Sic diuinæ prouidentiæ solatio Seruator noster Apostolorum et discipulorum suorum animos aduersus persequutionum rabiem post suum discessum in mundo illis imminentem præmuniuit. Nonne (inquit) duo passeres minuto asse veniunt, et vnus ex illis non cadit in terram sine patre vestro. Ne igitur metuatis, vos pluris estis quam multi passerculi. Hæc Seruator de Matth. 10.

patris

patris sui prouidentia in immanibus persequutionibus suorum salute prospiciente. Ac alibi etiam aduersus mundi ad exitium inclinantis diras persequutiones sic illorum animos præfulcit, Eritis (inquit) inuisi omnibus propter nomen meum. Sed pilus de capite vestro nequam quam perit. Hoc de suæ prouidentiæ accurata cura piorum salutem et res amplectente et dispensante Seruator ad suorum perpetuam consolationem pronunciauit. Aduersus igitur mundi huius furentis contra pios machinationes diuina prouidentia apertissimum perfugium & tutissimus receptus est, in quem se è mundi tactatione recipiant, cuius in tuto sa acquiescant, & sub oculis habitent. Nam vt *Hanani* quem videntem scriptura appellat Regem Asam adiit, ait. *Oculi Domini discurrunt per terram vniuersam, vt roboret hos qui ergà eum sunt integro corde.* Ac Propheta *Dauid* de hostium suorum insultatione, vidisti (inquit) Domine, ne sileas vertens se ad parietem extroma valetudine affectus & confectus *Ezechias*, lecto affixus & inter vitam & mortem moribundus, & penè palpitans, preces cum lachrimis fudit ad dominum. Quid Dominus ad illum per *Esaiam*, *Exaudiui (inquit) precationem tuã vidi lachrimas tuas. Ecce ego addo ad dies tuos quindecim annos & de manu regis Assyriorum liberabo te.* Hactenus consolatoria Dei per *Esaiam* Prophetam nunciatio ad *Ezechiam* Regem, posti exauditas eius preces & lachrymarum quas Deo fudit commiseratio-

Luc. 21.

2. Para. 6.

Psal. 35.

Esai 38.

nemp. Non latuerunt diuinam prouidentiam quantumuis abstrusæ versus parietem illius preces et lachrimæ. Quin etiam *Dauid* de suis fugis *Saule* illum immaniter fugante & persequente, *fugas (inquit) meas tu numeratas habes, lachrymas meas repone in laguncul[a]m tuam, nonne in rationaria tuo?* hactenus Propheta. Vtcunque tumultuariæ & fortuitæ fugæ eius videbantur, apud Deum tamen illas in numerato fuisse dicit. Ac vbicunq; lachrymæ eius instillabantur tantum abest vt euanuerint, vt ceu in laguncul[a]m condi[t]as asseruari à Deo putat. Quo significatur non obsoleturæ apud deum priorum lachrymas, sed ipsi curæ de illis esse. Quid illud Propheta nonne in rationario tuo? Rationum & memoriæ quidem Prophe[t]icum illud verbum *Besiphra* denotat, quo significatur deploratos priorum casus de[i] subiectos esse suboculis, & recentis & flagrantis memoriæ apud eum illos ac perinde illi esse vt quæ memoriæ intus olim exarata oculos nostris coram obuersantur. Consimili sermone & sensu *Malachias* Propheta *Sepher zicharon* nominauit memoriæ scilicet commentarium coram Deo descriptum priorum in iugem recordationem. Quo significat illorum pietatem & virtutes Deo perpetuò esse præsentissimas, & abunde & prolixè ab eo compensari. Nec solum in illo viuimus mouemur & sumus, vt poetarum quorundam sententiam *Paulus* laudauit, sed sub illo agimus & cum illo viuimus vt præclarè *Arnobius* de vi-

Psal. 55.

Mala. 3.

Act. 17.

tæ humanæ diuinam librer prouidentiam traductione loquutus est. Quod illi nō solum quæ secreto à nobis acturata sunt repræsententur sed & cordium nostrorum abditissimos recessus & angulos ille perscrutatur. *Vidisti (inquit) David sensitam meam & accubitum meum enarrasti, & omnes vias meas exploratas habes. Quia nō est verbum in lingua mea quod non tu nouisti omnipotens Domine.* Psal.139. *Eadem* propheta alibi *scrutans (inquit) corda & renes Deus.* Renes a propheta *Chelot* appellantur vel a desiderijs vel affectionum a clausis & abditis receptaculis, vt nonnulli explicarunt. Cogitationum enim & affectionum occultissimas latebras Deus rimatur & scrutatur. Ac *Salomon* de diuina prouidentia & præsentia reclusos humanorum cordium recessus & seclusos angulos penetrante, ponderat inquit spiritus *Iehoua*. Ceu in lance & statera libratur & ponderat spiritus mortalium. Tanti enim est illud de Hebræo *Tochen ruchot Iehoua* quod apposite vulgata vertit spirituum ponderator est Dominus. Ac idem *Salomon* de diuina prouidentia nō solum spirituum et cordium momenta sed conceptarum etiam cogitationum aggressiones et progressiones dirigente. *Cor (inquit) hominis deliberat viam suam, Domini autem dirigit gressus.* Prouer.16. Ac idem *Salomon* alibi *à Iehoua gressus viri pendent vel diriguntur, & homo quomodo intelligit viam suam.* Prouer.20. Per gressus vel passus generaliter complexione omnes humanarum rerum tam internarum quam externarum

rum susceptiones & administrationes significantur. Humanorum enim incessuum gressus & passus ceu primordia quædam sunt, post viam inimus, semitas terimus, itinera obimus. Et quamuis ab his initijs profecta sint viarum itinera tamen decursa totius vitæ humanæ curricula hoc verbo comprehenduntur et diuinæ providentiæ subijciuntur. *Salomonis* enunciatio hæc est: A *Iehoua* gressus viri, verbi supplemento opus habet, Scilicet diriguntur vel pendent. Quod pressum est in verbis in sensu latissimè sunditur. Omnis enim humanarum rerum administratio & peractio diuinæ prouidentiæ non supplemento tolum sed complemento opus habet, affecta et manca alioqui erit quantumuis externa potestate polleat. Verbi *Gebet* quo *Salomon* hic virum designauit à dominatu vis & explicatio est: vnde leo Iudæ hoc additamento vim vocis expleuit. Gressus viri fortis à *Iehoua* sunt. Post interrogatione mortalium impotentiam & defectionem in rebus obeundis & dispensandis expressit. *Et Adam inquit quomodo intelliget viam suam?* Pro homine *Adam* supposuit cuius verbi potestas & notio à terra est, quæ rubram designat ex qua fictum & formatum *Adam* nonnulli autumant. Hoc ergo *Salomonis* interrogatum est. An qui vt *Adam* è terra fictus est, et ceu ex humo reptitius, inops in consilijs, & ex se nudus à gratia & facultatibus, vitæ & vitæ suæ prospicientiam & dispensationem sibi potest assumere?

Salmon

Salomon ergo hic ceu cœlestis consultor ei à deo adhibitus diuinam ad prouidentiam eum ablegat, vt illa præeunte et præeunte prudenter et fœliciter consulta & acta sua disponat & perficiat. Aç eandem in sententiam concinunt. *Salomon Dauid's* filius & pater eius *Dauid*. Eodem nimirum spiritu afflati par et consimile de diuina prouidentia elogium pronunciarunt, à *Iehoua* (inquit *Dauid*) gressus viri diriguntur et via eius grata est ei, vel vt vulgata, viam eius volet. A principio sententiæ ijsdem verbis procedit, & vocis defectum supplet in *Salomone* intellectum, scilicet diriguntur. Cuius vocis *Chonanon* vis et notio sic explicatur, vt non solum dispositionem sed firmitatis & stabilitatis accessionem hominum consilijs et conatibus adijciat. Alterum enim alteri consequens est. Nam quæ pie et prudenter instituta et informata sunt, illa fœlicem et stabilem successum sortiuntur. Eadem ex radice vterque sensus redundat. Linguæ sanctæ nonnullis e vocibus gemini et quadam affinitatis coharentia et consequentia cognati sensus funduntur. Vt *Sachal* verbum quod in rem præsentem idoneum est diuinæ prouidentiæ causam & emergentem effectum significat. Nam et prudenter agere et fœliciter etiam et prospere significat. Sensus enim affines et iuncti consequentes sunt. Ex prudentibus consultis fœlices successus redundant. Vnde illud Scripturæ de *Dauide*. Quum egrederetur ipse *Dauid* *Psal.* 38. 1. *Sam.* 18.

prudentius

prudentius egit quam omnes serui *Saulis*. Quidam vocem *Sachal* hic exponunt, prosperatus est vt Santes annotauit. Et vatablus interpretatus est feliciter rem administrauit. Eadem enim ex radice geminus & confinis sensus profeminatus est, prudenter & feliciter rem gerere. Ac verumque diuina ex prouidentia decurrit. Recenti iam morte Moisis dominus se *Iehoſue* consultorem & deductorem præbuit, viam quam insisteret demonstrauit, vt prudenter & feliciter impositam prouinciam & rempublicam administraret. Et quæ ad felicem rerum procurationem & administrationem fundamenta iacienda erant: Dominus hoc illi in mandatis dedit. Non recedet volumen legis huius ab ore tuo; sed meditaberis in eo die noctuque, vt custodias & agas iuxta omne illud quod scriptum est in eo: Tum enim prosperũ reddes iter tuum, tum prudenter ages. Verbum *taſchel* quod plerique interpretantur prudenter ages vatablus exponit facies fis. Ac hoc scholio explicat, verbum *Sachal* proprie significat intelligere, at qui sapiunt assequuntur vota, ob id prosperari significat Qui prudentes sunt feliciter res suas administrant atque hoc pacto voti compotes euadunt. Hactenus vatablus. Vnde ista prudentia & felicitas quę eodem ex verbo funduntur in priuatam & publicam administrationem deprompenda est? ex verbi diuini sedula et assidua meditatione et commentatione, vt diuina prouidentia res in actus et euentus deducente prudenter

Ioſ. 1.

ter et fæliciter eueniant. Hinc enim prudentiæ et prosperitatis humanæ ortus progressus et fælix successus est. Quocirca eiusdem vocis hortatu et acclamatione tum *Dauid* pater tum *Salomon* filius mortales cõpellant, vt diuinã ad prouidẽtiam administrationes suas deuoluant. Volue (inquiũt) ad *Iehouam*: *Salomon* adijcit opera tua. Eadẽ vterq; voce *Gol* vtitur quod voluere et deuoluere significat, vt scilicet deuolutę rei ad dominũ procurationẽ & dispẽsationem suscipiat. Summa hortationis est, vt diuina à prouidentia in administratione rerum pendeamus. Vtriusq; sententiæ hæc initia sunt. Sic suam *Dauid* prosequitur, fide illi, & ipse faciet. Non ceu proiectę temeritatis homines re ad dominum deuoluta securos & supinos esse vult, sed fide (inquit) Domino & ipse faciet. Fidentiam diuinæ prouidentiæ et misericordiæ perpetuó incumbentem postulat, illa vt successum præbeat. Ac *Salomon* filius suam sententiam sic explet, et consilia tua firmabuntur. Ac vt vulgata dirigentur cogitationes tuæ. Vtrumque enim ex verbo quo hîc vtitur *Salomon* annotatur. Quod verbum *Chun* dirigere et confirmare significet. Tam priuatarum igitur quám publicarum negociationum administrationes et dispẽsationes diuina a prouidentia deriuandæ sunt. Nam quæ diuinam ad prouidentiam apta et accomodata sunt, illa optimè et fælicissime diriguntur et confirmantur. Ac Regnorum et principatuum mutationes et successiones diuinæ prouidentiæ ex præscripto

Psal.37. *Prouer.16.*

potissimum

potissimum dispensantur et ordinantur. Insignis enim diuinæ prouidentiæ beneficientia in regnis & principatibus faeliciter et salutariter dispensandis mortalium fortunis et rebus affulget. At impiorum principum effrenata licentia sæpe regna & regiones quatiuntur, & rerum publicarum amplitudo & munitissimi status conquassantur. Quocirca in potestatibus dispensandis & ordinandis expressa diuinæ prouidentiæ documenta hominibus repræsentantur. Siue per illa diuinæ bonitatis munera & donaria per regna & regiones diffundantur, siue scelerum licenter et furenter grassantium castigationes et flagella sint. Ceteroquin humani arbitratus & potestatis illæ potestates & principatus non sunt, sed diuinæ prouidentiæ & potestatis. Nec vllus mortalium quãtumuis ambitionis æstu quodam æstu efferuescat, aut regnorum et principatuum rapacitate efferatur, vt Antiochus ille *Hierax* a rapiendo et rapinis cognominatus in principatus et potestates humanos inuolare, et nisi diuina annuente et dispẽsante eas prouidentia ad se rapere aut diripere potest. Vnde illa Seruatoris nostri vox ad Pilatum potestatem suam iactantem & obijcientem, non haberes inquit vllam in me potestatem nisi tibi datum esset desuper. Diuinæ igitur prouidentiæ certissimum hoc consectarium est potestates principatus et prætecturas diuinitus dari et dispensari: Nec alio qui ad illas aspirandi hominibus facultas est, quantumuis immani

Ioan. 19.

immani ambitu & proiecta audacia illas, assectentur. Diuina sapientia in *Salomone* quæ quicquid diuinæ prouidentiæ in rebus humanis est suo in complexu continet, et cui diuina etiam potentia comes assidua & individua est sic proclamat è cælis. *Per me Reges regnant & Principes decernunt iustitiam.* Per Reges eminentissimæ potestates designantur, per *Rozenim* principes vel vt Vatablus annotauit consiliari qui secundārij Regum sunt et secundum illos principem potestatem & administrationem sortiti sunt. Quamuis ad specialem iudicibus potestatem delegatam aliqui vocem illam contrahant. Sed vt summatim dicam tum qui potestatis in fastigio sunt, tum qui in secundis & tertijs consistunt, diuina a prouidētia dispertitam potestatem acceperunt. Siue ὑπερέχοντες sint vt *Petrus* Reges & eminentes & præpollentes alijs potestates appellauit, sine secundum illos ceu emissarij illorum, ab illis scilicet emissi, quos Petrus ἡγεμόνας nominauit. Quid ergo attoniti hæremus ac ambigimus? aut humanæ rationis aliquos flexus & anfractus disquirimus? Quum diuina sapientia nobis è cælo denunciauerit sui iuris & potestatis omnes mundi potestates & principatus esse, siue in culmine potestatum consederint, siue inferioris classis fuerint. Nam potestates quæ sunt, a Deo sunt vt Euangelica *Pauli* tuba insonuit. Proinde subditas esse oportet, non solum (vt ait) propter iram sed propter conscientiam

Prou. 8.

Rom. 13.

Ac

Ac vt Chrysostomus postquam generalem illam pauli complexionem omnis animæ distinctius & particularius euoluisset & summa secundum Deum & Christū ministerij officia enumerasset subiungit καν ὁστισουν Quicunq; aut cuiusmodicunq; sis. Non enim (inquit) subuertit pietatem subiectio, nec vllā assumptionē admittit generale hoc edictum de præstanda summis potestatibus obtemperatione, quæ illis Dei ex verbo debetur. prouidentiæ ergo diuinæ oppugnatores sunt quicunq; aduersus ordinatas a Deo potestates sunt reluctarij. Quibus Dauidicum illud quod de monte ecclesiæ effatus est de prouidētiæ diuinæ monte pariter opponere congruenter possumus. *Quid saltatis montes excelsi? mons iste est in quo bene placitum est Deo habitare in eo.* Conspirant enim & coincidunt mons ecclesiæ & diuinæ prouidētiæ mons, qua suam ecclesiam defensitat et ab hostium impressionibus vindicat. Ac ille diuinæ prouidentiæ mons duobus æreis montibus adumbratur et figuratur in *Zacharia* propheta: quod diuina prouidencia immobilis et inmutabilis sit, nec vllis viribus ac potentia humana infringi ac labefactari possit. Quid illi montes excelsi prærupti et conuagosi colles, vt propheticum verbum *Gaunim* explicatur, qui aduersus montem dei saluum Ecclesiæ et diuinæ prouidentiæ defensatricis ecclesiæ immanes hostes figurant, qui infestissimis aduersus ecclesiam et diuinæ prouidentiæ montes incursionibus quid aliud quā

corporum

Chri. in cha. 13. ad Rom.

Psal. 68.

Zacha. 6.

corporum ſuorum conquaſſationes et fortunarum ruinas ſibi accerſunt. *Nebuchadnetſar* debellatis tot nationibus potentiæ ſuæ immoderatione et immẽſitate ſufflatus, hoc diuinæ prouidentiæ documentum capere non potuit. Scilicet diuinitus in mortales omnem poteſtatẽ et principatum deriuari. Poſtquam enim numeroſa ſucceſſuum felicitate diuina illum prouidentia cumulaſſet, & opulentiſſima ſe in regna ingurgitaſſet, ceu mons in altum æditus et confragoſus collis ſuæ poteſtatis faſtigia contra largitorem et authorem omnis poteſtatis vibrare cæpit. Ac faſtuoſe Regio in palacio inambulans in cenaculo vnde proſpectus illi in vrbem fuit, ſic anhelatis inſolentiſſime verbis percrepabat, non hæc inquit eſt Babilon magna quam ædificaui in domũ regni in vrbem fortitudinis meæ et in gloriam decoris mei. Confeſtim diuina vox auribus eius inſonuit, *Daniele* his verbis referente, *Tibi dico rex Nebuchadnetſar quod regnum á te receſſerit: Ab hominibus etiam te pellent, & inter feras erit habitatio tua, fœno velut boues cibabunt te, donec ſeptem tempora voluantur ſuper te. Quoad cognoſcas quod excelſus imperitet in regno hominum, idque conferat cui voluerit. Eo ipſo tempore ſermo in Nabuchadnetſare impletus eſt; vt ab hominibus pelleretur, & fœnum vt bos comederet, eiuſque corpus de rore cœli tingeretur: Donec pilus eius creuit ſicut pluma aquilarum, vngues eius tanquam vngues volucrum.* Hactenus de *Nabuchadnetſare Da-* Dani. 4.

niel. Omnibus exemplum & ſpectaculum à Deo propoſitus eſt quod ſupra ſortem humanam contra deũ potentiæ ſuæ iactatione ſe extuliſſet. Proinde infra humanam deiectus punitur. Nam cætero quin viuorum è numero non exturbatus fuit, animo ſimul & corpore obbruteſcebat, et brutorum in compaſcuis & conuictu vitam beluinam traducebat. Nec mente ſolum efferatus erat, ſed corporis habitu deformatus : hamatis vnguibus, crinibus demiſſis, ſylueſtris & agreſtis hominis inſtar. Donec exacto tempore reddito ſibi intellectu (vt de eo *Daniel* refert) eleuatis in cœlum oculis omnem è cœlo hominibus attributam fuiſſe poteſtatem ingenuè et aſſeueranter profiteretur. Et diuinæ caſtigationis fælicem hunc exitum ſic *Daniel* commemorat. *Ceterum exactis diebus ego Nebuchadonetſar ſuſtuli oculos meos ad cœlum & mens mea ad me rediit, & excelſo benedixi, & ſempiternis temporibus viuentem laudaui, & honore proſequutus ſum : cuius Dominatus æternus Dominatus eſt, & cuius regnum per vniuerſa ſecula : omneſque habitatores terræ tanquam nihilum æſtimantur : qui pro ſua voluntate agit tam in exercitu cœleſti, quam inter habitatores terræ nec eſt qui ſquam qui manum eius contineat, & dicere poteſt ei quid feciſti.* Hactenus *Daniel.* Ac poſtea à regni proceribus requiſitum fuiſſe refert & in regno confirmatum & *maieſtas ſoluto amplior (vt diſertis de ſe verbis Nebuchadonetſar ipſe commemorat)*

addita

addita est mihi. Sic ille mundanæ potestatis ceu resonans quoddam in theatrum productus erat, & diuinæ prouidentiæ in schola flagellis eruditus, prophetici effati primum discipulus effectus est, vt postea sui exempli magisterio omnes illud edoceret: nempè altissimum imperitare in regno hominum, idque cui voluerit conferre. Quod si aliqui tantis ceruicibus sint, vt scholæ huius magisterio condocefieri nolint, viderint ne potentissimæ scholæ flagellis ipsi cædantur. *Cyrus* illæ *Esaiæ* Prophe- *Esa. 45.*
ticis prædictis celebratus, babylonici regni ad se traductionem diuinitus factam esse agnouit, & tantorum successuum causam prophetica prædictione cognouit: & edicti sui præscripti præconio sic publicauit, scriptura attestante: *Sic dicit Cyrus Rex Persarum, Omnia regna terræ dedit mihi Deus cœlorum, & ipse præcepit mihi vt ædificem ei ædem in Ierusalem quæ est in Iehuda. Quis est ex vobis ex populo eius, sit Dominus Deus cum eo atq; ascendat.* Cyri edictum hactenus. Regnorum largitorem recognouit, causam etiam tantarum munerationum & successiuum confessus est. Et edicto solemnibus præconijs denunciato populū Dei excitauit & animauit, ad capessendū cōstituras et imperatas à Deo in Hierusalem operas. Atq; idē Prophe- *2. Para. 36.*
ta de diuinæ prouidentiæ cōstituto ad Cyrum in Babilonem euocandum, vt suæ prouidentiæ consulta & placita exequatur, et de inuicta diuinarum consultationum ad præfinitum

Esa. 46. tempus effectione, *voco (inquit) ab oriente volucrem*, de terra remotissima virum cõsilij mei, præterea prædixi et adducam statui & illud faciam. Hactenus *Esaias*. Qui ergo è longinquo ceu volucres regnorum in possessionem aduolant, diuinæ prouidentiæ præscripto euocantur ad ea exequenda quæ secundum voluntatis eius arbitratum & præscriptionem illis præstituta sunt. Ac de diuina prouidentia tum priuatas tum publicas res mortalium moderante & temperante, tum potissimum principatuum et regnorum vicissitudines transflationes momenta et conuersiones dispensante et ordinante satis in rem præsentem dictum est. Iam procedamus ad illud quod proximo loco à me propositum est.

Contenta.

Quid Regiæ M. pro tantis in eam diuinæ prouidentiæ beneficijs in reliquum tempus committendum est.

CAPVT III.

NEmini iam dubiũ esse potest (præclarissime Rex) nisi qui diuinæ prouidentiæ ad tam illustria et expressa testimonia et opera obsurduerit, et superstitionũ in sordibus et cæno volutetur, quin Altissimus te ex Aquilonari regno

no & tractu in Angliam euocarit. Ac qui te aduocauit et eduxit ille tuus parens, educator, et altor, has tibi partes impoſuit quas Regia in adminiſtratione ſuſcipere, et pijs et religioſis officijs illi repræſentare debes. Ille tibi eccleſiam ſuam verbo ſuo hic fundatam, multorum martyrum ſanguine ſanctam, et ſanctiſſimæ fidei tropæis illuſtratam commendauit. Ille tot retro annis aditum tibi ad hoc regnum munitauit. Ille in præſentia viam Maieſtati V. aperuit ab omnibus offenſionibus vacuam, et ſubditorum tuorum conſenſu concurſu applauſibus & intimis etiam viſceribus circumuallatam. Diuina à prouidentia hæc collata, ſunt in te, vt vna animorum conſpiratione ὁμοθυμαδὸν (*Paulino* vt vtar verbo) & ceu vna corporum etiam colligatione quam συνδεσμον idem appellauit, & ceu vir vnus collatis et conflatis in vnum ſtudijs diuinæ prouidentiæ inſtinctu tibi occurrant et congratulentur. Ac vt ſub *Eſechia* ſcriptura refert, In *Iuda fuiſſe manum Dei vt daret eis cor vnum ad exequendum præceptum Regis & principum iuxta verbum Domini*: Sic manu & operatione Altiſſimi hæc tanta omnium ordinum ſtudia gratulationes & promptæ & profuſæ operæ in vnum collectæ & conflatæ fuerunt. Diuinæ igitur prouidentiæ benignitate quæ tantis te beneficijs cumulauit vt quam longiſſimè cum Regia ſtirpe perfruaris intimis votis et precibus Deo ſupplicamus. Ac illum humiliter deprecamur, qui iuxta *Da-*

2. Par. 30.

Daniel.2. nielis illud elogium mutat tempora & ætates, trãsfert regna et cõstituit Reges, vt iauſpicatiſſimis initijs ab illius prępotenti prouidẽtia profectis, proceſſus progreſſus et ſucceſſus fæliciſſimos cocedat. Quid tibi (præclariſsimè Rex) iã diuinæ prouidentiæ ratione & reſpectu de cætero ſtudioſe et impenſè conandum eſt? vt ſcilicet eccleſiæ et reipublicæ noſtræ indulgentiſsimum te patronum, procuratorem, et parentem exhibeas. Ac vt ſubditorum tuorum ſpem intimis in medullis hærentem, et expectationem tanta fidentia flagrantem pijs & incorruptis Regiæ adminiſtrationis officijs Deo eccleſiæ et communi reipublicæ repræſentes. Hoc pietatis veſtræ ceu reſonans quoddam theatrum in mundo erit. Nulla vnquam poſteritas de Regiæ pietatis veſtræ exemplis obmuteſcet. Deo et Angelis gratiſsimum hoc ſpectaculum erit, qui in hæc diuinæ miſericordiæ opera (quorum fructus in eccleſiam redundant) auent introſpicere vt *Petrus* de illis pro-

1.Pet.1. nunciauit. Quod à geſtu quem agunt intuendæ rei inclinato corpore cupidi (quem verbo παρακύψαι expreſsit) angelos cupidiſsimos eſſe diuina opera contemplandi in eccleſia demonſtrauit. Quum ergo in ampliſsimo tanti imperij principatu et clariſsimo tantorum regnorum theatro (vnde latiſsimus in totum orbem proſpectus et reſonans fama et prædicatio eſt) diuina prouidentia M. V. collocauit, excita quantum potes in te dona ſpiritus; & omnes ſanctiſ-

sanctissimæ disciplinæ stimulos admone, vt impositam à Deo M. V. personam nō solum sustineas et tuearis, sed eius partes in propagādo veritatis studio & piè perfungendis Regiæ administrationis officijs impigrè agere et prolixè præstare, et ecclesiæ et reipublicæ representare quantumcunq; potes cōtendas. Regij enim zeli et pietatis exemplis excitabuntur, qui tarditates et moras in vera religione quærentes, vix vllos progressus in illa fecerunt. Prompto & voluntario spiritu vt confirmetur. *Da id* Rex Deo supplicauit. Sic enim illud Propheticū *Ruach-nediba* spiritum promptum (scilicet) & voluntarium interpretantur. *Voluntarium & spontaneum votablus exposuit: quo donati inquit homines vltrò faciunt mandata Dei.* Principalem spiritum vulgata vertit quod Principum spiritum maximè promptum ad pietatis munia & ad munificētiā alacrē esse cōuenit Græci ἡγεμονικὸν verterunt, vulgata principalē Quod spiritū gubernatorū qui loco ducum et deductorū alijs sunt insigniter prōptum et alacrē ad pietatis et rectæ gubernationis officia esse oporteat. Hos ἡγεμόνας *Petrus* appellauit, qui gubernationum præfecturas à regibus et principibus acceperunt. Proinde in regibus et eminenti potestate præpollentibus ille promptus et voluntarius spiritus in obeundis pietatis et diuini cultus officijs potissimum elucere debet. Vnde *Nedebim* in scripturis principes appellantur, cuius verbi notio est à pietatis vel munificentiarium

Psal. 51.

1. Pet. 2.

promptitudine qua pro vocationis suæ eminentia alijs debent antecellere. Hinc est quod tam feruenter oret Rex *Dauid* vt spiritu isto prompto alacri & diuinum ad cultum expedito confirmetur & fulciatur. Verbum enim *Samach* quo vtitur fulciendi & sustentandi vim & significatum obtinet. Quo nisi spiritu ad pietatem prompto & propenso fulciantur Reges & principes, & qui mundi huius facultatibus & voluptatibus affluunt, delinitti illecebris et corruptelis ab hac promptitudine spiritus deficiunt et humana fragilitate pietatis in studio et alacritate flaccescunt, ac in exercendis & promouendis pietatis et diuini cultus officijs hebetiores & tardiores euadunt. Quocirca hunc promptum & voluntarium spiritum Reges & principes non solum intimis precibus expetere debent, sed eum assidua diuini cultus et pietatis exercitatione alere et fouere. Ecce Regibus et principibus *Dauidem* ipsum pro exemplo in omnem posteritatem propositum, qui tantus Rex & Propheta diuini cultus Prophetico magisterio prælucens ecclesiæ & reipublicæ, quum ocioſe inambulans in solario oculorum lasciuiæ indulgere cæpisset & voluptatum illecebris & inuitamentis mulceri, spiritus amissa & excussa alacritate corruit in scelera. Ac in illis postea scelerum suorum volutationibus ita obsurduit ad spiritum, vt immanium flagitiorum quasi quandam in voraginem excesserit. Et offirmato animo volutari in illo

cæno

cæno pergebat quoad diuina commiseratione pœnitentiæ stimulis a propheta *Nathan* foderetur, et redintegrati spiritus desideratissimum reditum & appulsum sentiret. Tum ergo quum cœlestem habitatorem & incolam spiritum, scilicet de nouo recepisset, qui antea ceu deditius & captiuus grauissimis in vitijs detinebatur, quasi ruptis iam compedibus diuinam ad misericordiam & gratiam statim aspirauit. Quamuis ergo vt Rex mundanis facultatibus circumfluebat, at diuinarum gratiarum spoliatione vbi per spiritus amissionem & secessionem se quoad deum ex egentissimis esse recognouisset, tum illam de innouãda spiritus virtute & gratia precationem intensius in hoc psalmo geminauit. Hunc ergo promptarum voluntatum & affectionum spiritum Reges præcipué & Principes & qui potestate inter mortales eminent inviolatum & integrum religiosé et caste custodiant et foueant. Nam si deferuescat laxatis habenis ad voluptates diuino in cultu refrigescent, et voluptatum quodam incendio conflagrabunt. Tum illi insequũtur scelerum labes et hyatus, quos Propheta *Dauid* quamuis intima pœnitentia et cordis contractione et morsu et fidei et precum pia flagrantia explere submissé studuit, diuinæ tamen seueritatis castigationem non effugit. In demortuo primum e *Bersabe* nato infante, violata post *Thamar* filia, in *Ammone* filio ad epulas trucidato, et in *Absolone* filio perduelli et rebelli qui patrem e regno iectum ob peccata

2. Sa. 12.
2. Sa. 13.
2. Sa. 15.

peccata diuinæ ſeueritatis ceu flagellis quibuſdam caſtigauit. Quocirca a Regibus et Principibus ſpiritus ille principalis et diuinum ad cultum et pietatis officia alacer et expeditus caſté et religioié aſſeruandus eſt. Illo enim niſi præfulciantur et confirmentur in pietatis ſtabilate vacillabunt et claudicabunt. Ac illa ad pietatem promptitudo degenerabit et deflectet viciorum ad corruptelas et proiectas et præcipites in humana vita caſus et prolapsiones, cuiuſmodi ſunt in quibus plurimi principes non ſolum pietatis ſed mundanæ etiam proſperitatis miſerrima naufragia fecerunt, Quocirca *Dauidica* hæc in Regibus et Principibus potiſſimum deprecatio excitanda et alenda eſt, vt ſpiritu principali et prompto ad pietatem illos fulciat et confirmet. Diſſipabile enim et fluxum eſt quod firmum et fixum non eſt. Ac quam primum fragilitatis humanæ aliquam impreſſionem ſenſerint, et inſinuantes ſe voluptatum illecebras, aut aliquem in pietatis alacritate ſpiritus languorem et grauedinem obrepere, ſtatim expergefaciendus eſt ille ſpiritus, et piarum precum et meditationum exercitatione acuendus et fouendus eſt, ne ſenſim elabatur et ad pietatis promptitudinem et alacritatem obtorpeſcat. Hic ille eſt heroicus et vere principalis Regnum et Principum ſpiritus, quo conſultore et ductore propenſo et inpigro animo ad diuini cultus officia efferuntur, et illuſtribus exemplis illum comendatiorem ſuæ po-

teſtati

teſtati ſubditis reddunt. Hominum enim in oculis et ore habitant, ac illorum exempla latiſſimé in vulgus funduntur et diſſeminantur. Ab hebræis *Negadim* principes et duces appellantur quod coram et hominum in conſpectu ſint, a voce *Neged* quod coram ſignificat. Quippe coram conſtituti ſunt et hominum ſubiecti ſub oculis. Magni ergo momenti illorum exempla ſunt ad commouendam nobilitatem ad flectendas plebeiorum voluntates. Quippe illi ſuis ſtudijs et exemplis ceu vexillum quoddam diuini cultus erigunt, ad quod inferioris notæ homines concurrant. Hinc aggregato Iſraele heroicum illud elogium *Iehoſuæ* collectitiæ multitudinis in auribus inſonuit. Ego et domus mea ſeruiemus domino. Hoc ille exempli ſui ceu quodam vexillo propoſito omnium animos diuinum ad cultum excitauit et commouit. Statim enim *Iehoſuæ* verbis et exemplis animati et concitati conclamabant, Seruiemus et nos Domino quoniam ipſe eſt Deus noſter. Principum pia exempla quæ ſubditorum oculis obuerſantur, magnum habet pondus ad ipſorum animos diuini cultus ſynceram ad profeſſionē cōmouendos et confirmandos. Perge igitur (pr. clariſſime Rex) euāgeliæ veritatis ſtudio et Regijs in diuino cultu exēplis ſubditorū tuorū animos ad ſinceræ religionis profeſſionē et cultū exuſcitare. Perge nobilitati et plebi vniuerſæ Regiæ pietatis et exempli lumen præferre, vt calſiant qui frigidé et ieiuné veritatem euāgelicā profitentur. Regiæ quppe pietatis

1. Sam. 9.

Ioſ. 24.

exemplum prælucens ſubditis veſtris, languentibus & torpentibus veræ in religione animis languorem & torporem excutiet. De torpedine piſce proditum à *Plinio* eſt, piſces ſupernatantes in limo occultatæ obtorpeſcere ac illam captam retibus aiunt venenatum humorem fundere, qui retium repens & ſerpens per funes vbi piſcatoris ad manus peruenerit, confeſtim veneni vi ſic illas obtorpeſcere & obſtupeſcere, vt dimiſſis & dilapſis retibus torpedines euadant. Sed quamuis a torpentibus et flacceſcentibus vera in religione periculũ infirmis & nutantibus impendeat, at Regij exempli luculentus & conſtans zelus multorum torporem exacuet & ſuperſtitionum è veterno multos expergefaciet. Sepias etiam idem ſcribit atri cuiuſdam humoris ceu atramenti ſuſione limpidas aquas inobſcurare & infuſcare, ac ita piſcatorum aſpectus & retia fallere & fugere. Sepiarum ſimillimi ſuperſtitioſi ſunt, ſcripturarum luci quód ſuperſtitionum tenebras offundant, ſed Regiæ profeſſionis clariſſimum exemplum multos ſuperſtitionũm è caligine ſcripturarum ad lucem excitabit & ex opacis vmbraculis euangelicæ veritatis ad ſolem educet. Nunc ergo quum Maieſtatem V. tantis & tam illuſtribus beneficijs & regnis diuina prouidentia munerarit & collocupletarit quid illi viciſſim refundere & retribuere debes: vt ſynceræ religionis & diuini cultus propagandi & proferendi in ſubditos tuos ſtudio animoſe & fidenter inſiſtas: vt eccleſiam

Plin. natu. hiſt. lib. 9. Cap. 42.

Plin. natu. hiſt. lib. 9. Cap. 29.

ecclesiam foueas & a rapinis vindices: vt humaniores literas & literatos pro dignitate munores & promoueas; vt rempublicam a rapacium & auarorum ingluuie immunem quantum possis præstes: Vt heroico & constanti proposito veram religionem, ecclesiam et rempublicam in tutelam Regiam suscipias, tuearis, & Regia administratione sustentes: Vt Regnorum hanc gloriam caducam & fluxam esse cogites, ac intima meditatione & medullis ad illam æternam animo & externa administratione anheles. Sed hæc prælibata tantum sunt a me, distinctius & particularius ista tractabimus seorsim in certis quibusdam capitibus quæ ante proposita a me sunt. Ad proximum ergo caput accedamus.

Totius Regiæ administrationis firmamentum & columen esse synceræ religionis propagandæ studium.

CAPVT. IIII.

NIhil Regibus & Principibus qui summa potestate eminent, synceræ religionis promouendæ zelo & studio antiquius esse debet. Diuinæ Maiestati quæ illos ad tantam potestatem euexit hoc debent illi debitum persoluere. Primæ mandatotum

mandatorum tabulæ quæ diuino de cultu est, custodes & vindices sunt. At vt *Paulus* ait, illi sunt ministri Dei sunt. Sedent super thronum Iehouæ, vt de *Salomone* scriptura loquitur. Negotiorum eius & insignite euangelij procuratores sunt. Prophetica illa a Deo Regibus & Principibus denunciatio facta auribus illorum insonet, *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Osculemini filium, ne irascatur & pereatis a via. Quum derepente vel paululum exarserit ira eius beati omnes qui sperant in eo.* Hactenus diuina per Prophetam denunciatio. Intelligentiam prunum diuina ista denunciatio requirit, & cuiusmodi illam? quæ diuina cum sapientia & prudentia coniuncta est, Si verbi *Hischilon* potestatem explices: proinde sapite Leo *Iuda* interpretatus est. Non enim simplex & solitaria illa intelligentia est, qua rerum sensa nude percipimus, sed quæ recta disciplina imbibitur, eruditur & imbuitur, verbi *Himnaseron* quod erudimini vertunt, si vim & notionem explices. Disciplinabilis scientia & intelligentia est, ad quam diuini verbi ex oraculis Reges & Principes eruditi debent. Nec hic diuina hæc denunciatio consistit, sed seruitutis cuiam autoramentum & obligationem ab illis depoſcit. *Seruite Iehouæ in timore.* Sic non solum diuina vt disciplina formentur & firmentur illorum animi requirit, sed seruitij nexum & perfunctionem ab illis flagitat. Illius nimirum

Rom. 13.

1. Para. 29.

Psal. 2.

nimirum quod numinis a reuerentia obſeruantia & cultu proficiſcitur, huiuſmodi enim timorem prophetica hîc a verbo *iare* vox in ſcripturis tam frequens ſignificat. Qui a ſeruili & abiecto tam longe diſiunctus eſt, vt lætitiæ ſuauitate contemperetur, & diuinæ etiam Maieſtatis tremore coafficiatur. Vt hîc Propheta, exultate ei cum tremore. Ac huius diſciplinæ & ſeruitij quo Reges & Principes Deo obligantur quod fundamentum eſt: Oſculemini filium, illum intimé colite, et ſubiectionis & ſeruitutis ſignum defungendis ſeruicij eius officijs humillimé illi repreſentate. Paleſtinæ in more erat (referente, Vatablo) vt oſculo manibus impreſſo ſubiectionis nexum & ſignum profiterentur. Sed ſi aduerſus hanc diſciplinam refractarij ſint, et ſeruitutis ſuæ iugum excuſſerint peribunt a via iuſta, vt vulgata explicauit, deuij ſcilicet a recta via interibunt. Vel ne iraſcatur, et via eorum pereat, vt *Vatablus* expoſuit. Per viam quicquid illorum ſapientiæ et potentiæ eſt deſignatur. Omnia ruinas agent iraſcente et impellãte Domino. Et ſic diuina hac in denũciatione Propheta pergit. *Quũ vel paululũ exarſerit ira eius beati omnes qui ſperãt in eum*. Hæc Regibus et Principibus prophetici regis preconio diuinis ex decretis è cælo proclamata ſũt. Niſi ſe Iehouæ et eius diſciplinæ et ſeruicio ſubiecerint, a recta via aberrãtes interibũt et iræ eius inſtar ignis flagrãtis vt verbo *Ibar* expreſſit ſeueritatem ſentient. Prophetica igitur

hæc

hac in schola erudiantur Reges et Principes, vt Iehouæ filij Dei et euangelicæ eius veritatis intimè et officiosè colentes sint, et illam studiosè in subditos suos propagent. Commissæ ergo potestatis et concreditæ dispensationis euangelico illo examine semper commonefiant. *Redde rationem dispensationis tuæ. Omnes nos coram tribunali Christi manifestari oportet iuxta Pauli-*
Luke 16. *num denunciationem. Potentes potenter tormenta*
sustinebunt Salomoni sententia vt ascribitur. Lata
2. Cor. 5. contra *Saulem* Regem sententia per *Samuelem*
Sapi. 6. prophetam internuncium declarata hæc erat. *Quandoquidem igitur tu abiecisti verbum Domini, abiecit & ipse te ne sis Rex.* Priuationis regni causa hæc fuit, diuini mandati per *Samuelem*
1. Sa. 15. illi denunciati præuaricatio & transgressio. Ne *Iosiæ* quidem cætera religioso Regi parcitum est a Domino, quod contra iussionem suam & ver-
2. Para. 35. bum ex ore *Pharaonis Necho* venisset. Quum è libro sermonum *Ieremiæ* prophetæ *Iehudi* tres aut quatuor paginas auscultante Rege et Principibus legisset, diuina per prophetam comminatio impio Regi tantæ offensioni erat, vt stomachosè correptum librum & scalpello conscissum igni iniecerit, in quo deflagrauit. Quæ domini postea contra impium Regem per Ieremiam sententia pronunciata fuit? *Non erit ei superstes qui sedeat in solio Dauidis, & cadauer proiectũ erit ad æstum diurnum & ad gelu noctur-*
Iere. 39. *num. Ac visitabo tum ipsius tum seminis & seruorum eius iniquitatem, & inducam super eos &*

super

super habitatores Ierusalē & super vniuersum Iudā omnem calamitatem quam loquutus sum super eos. Hactenus *Ieremiæ* à Domino contra impium Regem denunciatio. Non solum è regno eiectione sed cadaueris proiectione luit tantam contra dominum contumaciam & offensam. Quamuis Reges et Principes potestatis magnitudine cæteris hominibus præponderent, attamen quum sciens & negligenter partes sibi à domino impositas gerunt diuino in cultu (quod penes te est) promouendo, tum illos suū ad examen & lancem reuocat. Ex trinis verbis per digitos manus albato parieti inscriptis, & à *Daniele* regi Balthasari enunciatis & explicatis secundo loco propositum erat *Tekel* ponderauit scilicet et appendit te & inuentus es deficere in pondere. Defectum enim *Chassir* & decessionem de pondere significat. Diminutum scilicet pondere vatablo etiam exponente. Illam ergo diuini examinis lancē Reges et Principes studiosè & impigrè fungendis vocationum suarum officijs (quorum diuini cultus propagatio primas tenet) explere et deprimere quantum conniti possunt debent. Nam si in eo negligentiores & solutiores fuerint quasi diuinam potentiam tentare & periclitari audeant, si diuini cultus in lance leuiusculi & diminuti pondere reperiantur, tum magnæ illis formidini hoc Balthasaris Regis exemplum debet esse. Ille enim vna eademq; nocte regnum pariter et vitam amisit. Quocirca Dei metuenti- *Dani.5.*

bus Regibus & principibus nihil diuini cultus officijs & propagatione antiquius & expetibilius debet esse. Hac enim ratione potestatis sibi ab eo collatæ gratam memoriam & recordationem pijs officijs illi vicissim refundent, & principatuum suorum stabilitatem ab ipso expectabunt. Iuxta Dauidicam illam precationem, *confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*. Quid Regibus & Principibus *Dauidis* & *Salomonis* exemplis descriptius esse potest? Horum ille Prophetica religione & pietate claruit, & ministerij diuini sacerdotes & leuitas in classes & ordines digessit. Hic domino templum augustissimum exædificauit, & solemnibus precibus in templi dedicatione multitudini præiuit. Quamprimum ad regnum *Ezechias* appulit, diuino cultu repurgato & reformato, emissarios & excursores emisit quos *Ratsim* à cursitando scriptura appellat, qui ad Pascha celebrandum (quod ante pro derelicto erat) vniuersum Israelem congregabant. Religiosissimus Rex *Iosias* initio regni sui diuini cultus præclara principia posuit. Templum enim Dei idolorum sordibus fœdissime inquinatum expurgauit, & celeberrimum illud Pascha cuius vsus in Israele tum obsoleuerat celebrauit. Sub Asa rege Asaria Propheta populum inhortante, Rex & populus inito cum Deo fœdere solemni sacramento cum Deo depaciscebantur, Dei se populum futurum, vt ille vicissim se illis præstet in Deum. Postquam *Iehosaphat*

Psal. 68.

3. Para. 23.

2. Para. 6.

2. Para. 30.

2. Para. 35.

2. Para. 15.

2. Para. 17.

Iosaphat regni ascendisset ad solium principes cum leuitis per totum regnum ablegauit vt legem Dei populum edocerent. Et quum instructo sub signis exercitu contra hostes graderetur, ad excitandos diuinitus suorum animos proclamauit: *Credite Prophetis & omnia vobis prospera euenient.* Piorum Regum & principum germanissimum hoc semper fuit, vt principatuum suorum à principio diuini cultus procurationem & propagationem susciperent et prosequantur. Ita enim suæ non solum priuatim saluti & fortunis, sed publicæ etiam & regnorum suorum fœlicitati & stabilitati consultissimè & prouidentissimè prouidebunt, *Constantinus* cognomento magnus a Christianæ fidei propagatione & rerum gestarum magnitudine cognomen magni adeptus, *Licinio* imperij consorti (qui sororem *Constantini* in matrimonio habuit) consuasor & author fuit vt cõmuni edicto de religiones constituenda immunitate sancirent. *Gratianus* Imperator (*Theodoreti* vt verbis vtar) primitias imperij sui obtulit deo & lege sancita religioni & rebus ecclesiarum componendis prouidit, Ac Sapori duci demandata ab illo prouincia fuit vt illarum curam ageret. Mortuo Iuliano Apostata milites Iouinianum ceruicibus & humeris impositum circumferebant et Imperatorem renunciabant, Ac ille argutis verbis fassus est se Christianum esse. Milites etiam quamuis sub

2. Para. 20.

Euseb. hist. eccle. li. 10. ca. 15.

Theo. eccle. histo. li. 5. ca. 2.

Zozo. eccle. hist. li. 6. ca. 3

Iuliano Apostata meruissent se etiam confessi sunt Christianos esse : Sic mutuis asseuerationibus & confessionibus Christiana fides ab illis contestata & Iouiniani sub imperio redintegrata fuit. Quum *Iulianum* Apostatam tum

Zozo. eccle. histo. li. 6. ca. 6.

Imperatorem templum ingredientem *Valetinianus* pro militaris prefecturæ ratione retro sequeretur, Sacerdos etchnicorum è more aquam lustratem aspergens *Valentiniani* pallio guttam insperfit. Illæ Christianæ professionis zelo efferuescens, inspiciente *Iuliano* pallij sui illam partem ceu contaminatam amputauit & proiecit. *Iulianus* illum postea perpetuo in Armeniam exilio mulctauit. At Deus zelum eius imperio post *Iouinianum* defunctum honorauit. Illum enim Niceæ exercitus et qui dignitate præpollebant militari in disco (narrante *Nicephoro*) vt solenne illorum temporum erat circumgestatum Imperatorem proclamauerunt. Sic exilij pœnam ob fidei zelum illi irrogatam deus imperij amplitudine compensauit. Ille enim suorum cultorum μισθαποδότης

Hebræ. 10.

mumerator est vt ad Hebreos *Paulus* scripsit. Quamuis infideles mussitent & murmurent

Mala. 3.

Malachia illos sic describente, vanum est seruire Domino. Huiusmodi enim susurationibus diuinã in pios benignitatem calumniantur. Quasi euanescat labor qui diuino cultui impenditur. Vox *Shaue* qua propheta hic vtitur nõ solum quod vanum est significat, verum etiã mendatium,

datium, quo diuini cultus frustrationẽ suggillant. Sed dominus illorum murmur non solum verbis sed benignitatis suæ experimẽtis refutat: erunt mihi ait Dominus exercituum in die quam facturus sum peculium, & parcam eis sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. Hęc domini contra suæ in pios beneficentiæ obloquentes responsio est. Illos nempe sibi futuros peculiaris & pretiosi thesauri instar, vox enim *Segulla* peculiarem & pretiosam alicuius rei possessionem significat. Tantum abest suorum vt pietatem negligat, vt illos a cæteris diremptos & peculiarem in tutelam susceptos magno in precio habeat: ac illis non secus indulgeat ac pater filio sibi famulanti: viles illi sunt impij, at pij pretiosissimi instar thesauri & recusi ab illo custodiuntur. Atque hanc eius in pios indulgentiam & beneficentiam non verbis solum appromissam, sed re & factis repræsentatam pij comperient. *Conuertemini (inquit) & videbitis quid (interest) inter iustum & impium, inter eum qui Deum colit & eum q̃ i Deum non colit.* Diuina hæc oratio quam pijs consolabilis est. Ipsa nimirum experientia & factorum periclitatione comperturos quantum apud deum pij ab impijs discriminentur. Pijs Regibus & Principibus Deus fœneratur quod in vera religione profitenda & prosequenda operæ insumunt, vel periculi adeunt. Consideremus *Iouinianum* Christianæ fidei asserendæ studio & zelo Deo

Iouinianus Imperator.

charum, pijs commendatum & Iuliano Imperatori apoſtatæ odioſum. Ille extincto Iuliano (qui iuxta *Athanaſij*) de illius exitu prædictionem vt nubecula euanuit,) militum humeris magno cum applauſu circumgeſtatus fuit (creandi Imperatores illorum temporum ex conſuetudine) & Imperatoris titulo & inſignibus à Deo condecoratus. Audiamus Valentinianum à Iuliano pulſum in exilium Chriſtianæ fidei profeſſione ſic flagrantem, vt ſui pallij partis præciſione Iuliano ſtomacham fecerit & impuriſſimos eius oculos perſtrinxerit. Eundem conſideremus Ioumiani in demortuli locum militum humeris euectum, illorum acclamationibus Imperatorem declaratum. Quãta fæneratione fidei ſub Apoſtata fidentem & animoſam profeſſionem illi perſoluit Deus, Militiæ præfecturis deiectus & in exilium eiectus, ſumma poſtea cum poteſtate Imperator omnibus præpoſitus fuit. Fidei ſuæ paſſtritas non negligit Altiſſimus. Quanti apud illum pretij fuerint pietatis iſti pugiles luculentiſſimis experimentis declarauit. Heroici ſpiritus eſt augendo & promouendo diuinum cultum & ſynceræ religionis amplificationem mundanæ potentiæ incrementa & firmamenta à Deo expectare. His iactis (præclariſſime Rex) regiæ potentiæ veſtræ fundamentis ſi reliquam adminiſtrationem & potentiæ amplitudinem ſuperſtruxeris, illam tibi fortunabit & conſtabilet

Nico. li. 11. ca. 4.

Valentinianus Imperator.

biliet qui omnis poteſtatis & potentiæ author & confirmator eſt. *Dauid* de ſuæ poteſtatis incrementis à Domino, *Auges* (*inquit*) *magnitudinem meam & diuertens conſolaberis me.* Iſta magnitudo vnde augeſcit? tu *inquit auges magnitudinem meam.* Et quia auctis potentia multiformes eius acceſſiones multiplicantur verbo *Tereb* variam illam & multiplicem potentiam quæ tantam creuit ad magnitudinem expreſſit. Sed quid potentia quantumuis multifariam aucta niſi a Domino ſuſtentetur? Sua magnitudine promptæ erit ad prolapſionem, niſi conſolationum firmitudine à Deo fulciatur. Impulſa mundanis machinis vacillabit & ruet niſi diuinis firmamentis roberetur. Periculoſa & præceps in ruinas mortalium magnitudo eſt, niſi diuinitus conſolationum ſuauitatem & ſtabilitatem perpetuò hauriat. Pijs enim Regibus & Principibus perpetuo renouantur & inſtaurãntur. *Nouæ ſunt* (*vt de miſerationibus diuinis Ieremias ait*) *ſingulis matutinis: amplißima fides tua.* Quam conſolabilis pijs iſta eſt miſerationum Dei aſſidua renouatio? Quo fundamento fulciũtur? diuinis promiſsionibus, quæ immobiles ſunt & immutabiles. Quocirca miſericordiæ eius cum promiſſorum ſtabilitate ſic copulãtur, quia ampliſsima eſt fides tua. Et fidei vox ſi eius vim & poteſtatem explices à ſtabilitate eſt, *Emuna* enim à verbo naſcitur quod ſtabilire & firmare ſignificat. Et propheta

Pſal. 71.

Lam. 3.

Dauid de innumeris diuinæ misericordię beneficijs ex quibus in tantam magnitudinem creuit. *Os meum (inquit) enarrabit iustitiam tuam & quotidie salutem tuam quoniam non noui numeros.* Psal. 71.

Diuinorũ beneficiorum innumerabilitatẽ verbo multitudinis *Sepharot* expressit. Ac idẽ propheta alibi suę magnitudinis amplificationem a domino recognoscens, *Magnificans (inquit) salutes Regis sui, magnitudinis* istam derivationem et exaggerationem a domino se confitetur. Psal. 17.

Ac etiam quod hac magnitudine a domino accepta hostibus formidini fuerit *Alienigenæ (inquit) decidunt & horrescunt è conclusionibus suis.* Extranei hostes et qui alienato a *Dauide* potestate animo sunt cadent et diffluẽt. Verbum enim *Nabal* vtrumq; significat, cadere et diffluere, et status illorum defectiones et ruinas significat. Ac de diuina prouidẽtia circa Regum suum statum excubante *inuenit (inquit) manus tua omnes inimicos tuos dextera tua inuenit odores tuos.* Psal. 21. Ac precedente in versu, *Quoniam ipse Rex confidit Iehouæ deo fretus benignitate altissimi non dimouebitur.* Quæ regni stabilitatis causa est? confidere *Iehouæ*. Quis fructus? non labefactari. Quo loco censentur hostes eius apud dominum? Ius pro hostibus illos reputat. Inueniet (inquit) dextera tua hostes tuos. *Alta vocem edent contra perduelles* Ecclesiastis, 10. *testante Salomone: filius in quietatis non affliget eum,* Psalm. 89. *vt de regij sui status protectione a Domino propheta Dauid vaticinatur.* Si ergo fidenter & animose

ac

acheroico et diuino instinctu veræ religionis et diuini cultus propugnator & amplificator fueris, vestram in M. et Regiam sturpem prolixé redundabit. Quod illi expensum feres optima fœneratione referes, si pijs officijs diuinam tibi & Regiæ sterpi gratiam & beneficientiam conciliaueris. Hoc Regiæ pietatis illustre exemplum & spectaculum posteris in ecclesia & republica propones & relinques: Et nominis vestri præclara memoria in ecclesia & republica semper efflorescet, nec vlla vnquam temporum vetustate obsolescet. Hac diuini cultus ex amplificatione potentissimi principes gubernationum suarum initia ceu deo consecrata dicebant, in hac suarum gubernationum quantumuis eminebant exitus et terminos constituerunt. Ceu statim ex hoc mundo migraturi ad Dominum, supremi Regis regum pro tribunali administratæ suæ potestatis rationem reddituri. Quantæ *Theodosio* seniori nuncupato religioni et curæ erat vt veram religionē à sectis et erroribus vindicaret. Ac postquam principio imperij sui rebelles in occidente contra *Valentinianum* Imperatorem ex nomine iuniorem deuicisset, et bellicis a conflictibus respirasset, secundum consilium œcumenicum summa accuratione Constantinopelim conuocauit, vt aduersus veram religionem refractarios et rebelles hostes compesceret. Illustribus ille victorijs diuinitus indultis claruit ac vltimo vitæ suæ in actu et exitu morti iam proximus veræ religionis

gionis tuendæ et amplificandæ procurationem
Nice. li. 13. ca. 1. et prouinciam filijs suis Arcadio et Honorio deleguit. *Iustinus* Imperator senioris nomine appellatus morti iam propinquus *Tiberio* successori in imperio designato (qui Comitis excubiarū
Nice. li. 17. ca. 40. præfectura ante fungebatur) diuini cultus et
Nice. li. 18. ca. 64 veræ religionis prosequendæ & propagandæ studium & curam commendauit. Et *Tiberius* Imperator antecessorem suum Iustinum ipsidem pietatis vestigijs inlequutus, morte iam appropinquante Mauricium (cui filiam cum imperio despondit) ad pietatis & diuini cultus curationem & amplificationē apprime inhortatus est. Hæc pietatis suæ monumenta in omnem posteritatem sibi in ecclesijs erigi & relinqui Principes iam moribundi summe affectabant, ne pietatis ab officijs & ornamentis nudi coram diuina Maiestate compareāt: quæ omnium imperiorum & potestatum mutationes & motiōta dispensat. Hæc profecturis & migraturis ex ærumnoso hoc mundo, æternam ad salutem & gloriā solacia secum comportabāt & sibi profutura credebant. His qui viuentes sedulo & vigilanter incumbunt, morte iam imminente cœlestium consolationum flagrantiam & perennitatem ex illis percipient. Quicquid mundanæ potestatis diuino cultui & pietati valentes & florentes mundana potestate impenderint, id omne migraturis ex hoc mundo æternum illis in lucrum & fœnerationem cædet. Ista quibus

in

in hoc mundo perfruuntur, initar profluentis effluent illis ex manibus, & naufragos ac nudos & terræ illiſos terræ penetralibus in viſceribus condendos relinquent. Vt præclarè *Chriſoſtomus* mortales admonuit de certiſſimis mundi huius naufragijs: nudos migraturos hinc quantumuis diuites, & ab omnibus mundi huius ingumentis & ornamentis nudatos in puluerem proijciendos vt humo conteguntur. Illis enim vitæ huius in occaſu cadentibus omnia ſimul et ſemel concidunt Sorbo confertim folia decidunt & ab omni foliorum veſtitu ſimul & ſemel nudus cõſpicitur. vt à Plinio proditum eſt. *Limaces* dum reptando progrediuntur ſenſim colliqueſcunt & conſumuntur. Sic quod in nobis mortale & corruptibile eſt indies deteritur, cõſumitur & corrumpitur. Externus enim vt *Paulus* ait noſter homo corrumpitur. Internus tamen renouatur in dies. Velocius enim curſore dies noſtri excurrunt, vt de vitæ huius præpropera excurſione *Iob* ait. Et vitæ huius in tradu&ione & tranſcurſu quotidie aliquid illi deperit, & mortis ad metam ad quam hæremus propius accedimus. Et limacum inſtar paulatim colliqueſcimus & contabeſcimus. *Dauid Shablul* appellat diffluentem & colliqueſcentem limacem, cui impios aſſimilat. Et de vitæ huius fluxa fragilitate & breuitate idem Propheta, *Poſuiſti* (inquit) *palmi inſtar dies meos. Quia ætas mea ſic eſt quaſi non ſit, præſertim*

Chri. in Ge. ho. 1.

Plinius nat. hiſto. li. 16. ca. 24.

2. Cor. 4.

Iob. 9.

Pſal. 38. Pſal. 39.

præsertim tibi collatum: Vtique tota vanitas omnis homo stans, vel vt Leo *Iudæ* verbum *Nitsab* explicauit quamuis firmus consistere videatur. Caduca enim & vieta hæc vita est, quamuis firmo quis loco aut habitu consistere & valere videatur. Ac alio in psalmo idem propheta conqueritur *Memento inquit quod exigui temporis ego sum* verbo *Cheled* velut conscium exigui & determinati temporis abruptionē expressit. Vegetioribus et valentioribus octoginta annos vitæ humanæ ceu clausulam & periodum *Dauid* sic circumscriptam esse dicit, vt quod amplius est laborem & dolorem esse dicat, & velociter (inquit) transit nosq; auolamus. Fugacem et præproperam mortalium vitam verbo auolandi expressit. Ac illa quantumuis consuetis curriculis festinet ad metam, sæpe tamen multæ in fragili corpore offensiones, incurrunt & crebra cum inualetudine & morbis conflictatur, ac multis vitæ huius casibus sæpe intercepta & abrupta est. Illa ergo vitæ communis fragilitas et incerti euentus Reges et principes et omnes mortales mundi huius blandicijs et illecebris cōsopitos excitare et expergefacere debet, vt ad æternam vitam diuinitus nobis præparatam animos et studia transferant, quæ nullis vnquam seculis defloresceat et obsolescat. Pij ergo Reges et Principes sanctè et sollicitè se comparēt vt positis in morte mūdi huius coronis quæ fugaces et caducæ sūt illum τὸν ἀμαραντίνην τῆς δόξης στέφανον (de quo Petrus) immarcescibilem

Psal. 89.

cescibilē scilicet gloriæ coronam in cælis reportent, et beatæ memoriæ suauitatē ecclesijs et rebuspublicis relinquāt. Qui enim diuini verbi et veræ religionis seduli et impigri cultores extiterunt, non solum antiquissima patrum, sed recenti etiam nostra memoria sanctissimæ et beatissimæ in ecclesijs et rebuspublicis memoriæ fuerunt, ac suæ pietatis recordationem et prædicationem ecclesijs in omnem posteritatē commendauerunt. At contra qui corruptæ et viciosæ religioni studuerunt ac impietate infames fuerunt, illorum in ecclesijs et rebuspublicis memoria sordescit et exposa est. Dryinus serpens vbi cubitat sub quercu plurimum (à qua nomen clationem habet,) horribili et tetro anhelitu et fætore cubile suum coarguit, sic impij presertim Principes suorum cubilium et voluptationum diram et fumestam memoriam in ecclesijs et rebuspublicis reliquerunt. Deus per *Asshian* Prophetam vxori *Ieroboam* denunciauit, *Se illum & posteros expurgaturum quemadmodum stercus expurgatur.* Vt scripturæ verbis vilissimam eius et etiam posteritatis eius abiectionem et eiectionem enunciem. Quid illo apud Deum abiectius? quid illius memoria in ecclesia vilius? Regem Babilonis Surculum abominabilem *Esaias* appellat, abiectum de sepulcro, ceu cadauer procultatum. De facinerosis et impijs qui potestate et potentia sua abusi in terris erant, et terrori hominibus fuerunt vt affirmat *Ezechiel, iniquitas eorum super* 1. Re. 14. Esa. 14. Eze. 5.

ossa

Exe. 32. *ssa eorum, qui dederunt terrorem in terra viuentium.* Impij Reges Deo abominationi, hominibus detestationi sunt & ecclesiarum in fastis fastidijs adhęrescunt. Illud proinde *Pauli* Reges & Principes meminisse oportet ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρον temporis oportunitatē & occasionem redimentes. Ac dum potentia mundana pollēt, honoribus eminent, delicijs circumfluūt, & legittimo subiectionis nexu subditos & sibi obstrictos homines sortiti sunt, tum illius vt meminerint, qui hunc in illos principatum cōtulit, honoribus auxit & diuinis auxilijs sustentauit, ne in præcipites humanorum casuum lapsus & anfractus ruant. Tum illas promouendæ pietatis occasiones & oportunitates ne amittant é manibus. Sed cœlestem illum Regem cogitent, qui illos terrestria ad regna & Principatus euexit, cui vicariam operam ponere in terris debent. Ille multifarias & innumerabiles pro veræ religionis & diuini cultus propagatione ansas & occasiones illis suppeditat, habilitates subministrat, & oportunitates porrigit. Illas auidè arripiant, & quæ religionis & diuini cultus sunt impigre obeant in terris, vt ipsorum principatus Deo acceptus sit, Angelorum feratur auxilijs, piorum circumualletur precibus, & aduersus Satanæ & satellitum eius rabiem & incursiones communiatur. Quid *Ezechiæ* Regi religionis impētè colenti tum animi fuisse putamus, quum moribundus illam precem fudit ad Dominum, sui vt recordetur quod perfecto

Ephe. 5.

fecto illi corde inseruierit. Sic pietatis suæ recordatione diuinam in se misericordiam effuse euocauit, vt restitutæ salutis & quindecem annorum additamento vitam illi prorogarit: insuper appromisso aduersus Assiriorum Regem auxilio illum solatus fuerit. Huius consolationis flagratiam Reges & Principes dum integra valetudine sunt & facultatibus florent summe affectare & affectari debent: Vt quum affecta valetudine et mortis in angustijs decumbunt, vberrimè ea perfruantur. Redundabit tum in ipsos quicquid diuini cultus in studium et amplificationem collocarint. Ceu in codicem accepti et depositi relatum prolixè fænerabuntur, quod diuinum in cultum ab illis collatum fuit. Tum quum mundi huius fallacibus et fluxis a delicijs abstrahentur, his oblectamentis migraturæ illorum animæ refocillabuntur. Istis consolationibus spiritus sancti afflatu in illorum animos influentibus vitæ extrema in ora et crepidine suauissimè perfundentur. His (præclarissime Rex) si studiosè et apprimè studueris, dum florentis Regni fœlicitate frueris, et firma et vegeta a Deo tibi indulta valetudine vteris, Regni præsentis prosperitatem et fœlices successus augebis, et vitæ huic fragili cœlestia adminicula in omnes rerum humanarum euentus tibi comparabis: et pietatis cultura in consilijs ineundis et fœliciter exequendis te Deo charum et acceptum reddes. Ipsi te diligent angeli, qui piorum se conseruos appellant, amabunt subditi,

subditi, & tui perpetuo desiderio intimis votis
Apoc. 19. & medullis flagrabunt. Ad hanc igitur veræ religionis & pietatis propagationem tua (Rex inclyte) vota aspirent, desideria anhelent, et pij conatus ceu cælestem ad scopum collineent. Huius studio cultu & obseruantia tum mundana tum æterna tibi fælicitas accrescet: & post hanc fragilem vitam illam immortalem à Deo bonorum omnium largitore percipies. Quod ille faxit & celesti in regno cumulet qui te ad hec in terris Regna tanta indulgentia et fælicitate euexit.

Contenta.

De pij propositi constantia & perseuerantia.

CAPVT. V.

SIngularis diuini spiritus gratia & effectus est in synceræ religionis & pietatis proposito quod Principes potissimum aut cuiuscunq; sortis homines semel suscepe runt & prasetulerunt in eo constantes & perseuerantes esse: Ne vel animi vel morum inconstantia & inæqualitate a proposito dilabantur, vel externis ab eo vllis machinis dejiciantur, sed vt pij propositi ad finem perseuerantiam fidenter retineant. Sicuti qui stadium currunt non desistunt antequam dimensum spacium percurrunt: Sic qui pietatis

tis in stadiũ ingressi sunt ceu è carceribus emissi ad metas properant, vt palmã ferant. Hinc *Paulina* illa ceu in stadio currentibus acclamatio. *Sic curritε vt comprehendatis. Ac nemo (vt idem alibi hortatur) palmam vobis intercipiat*, aut ceu oblatam è manibus præripiat & interuertat: vt *Paulinum* verbum καταβραβεύω explicatur. Ac- 1.Cor.9. Colos.2. dem alibi *Quæ a tergo inquit sunt obliuiscens ad ea vero quæ a fronte sunt extens iuxta præfixum* Phil.3. *scopum insequor ad palmam supernæ vocationis dei per Christum Iesum.* Illic etiam brabij verbo ceu in cursu & certamine proposito vtitur, quod insequi se dicit vt assequatur. Nam medio in cursu qui deflectunt aut desistunt palmæ expertes fiunt. *At nos non sumus qui subducamus nos in per-* Hebr.10. *ditionem, vt alibi Paulus ait, sed ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ.* Fidei in proposito defectionem à fide & pietate verbo ὑποστολῆς *Paulus* designauit, quæ animi & operæ subductionẽ notat, quum ignaue & meticulose fidei & pietatis à proposito nos subtrahimus. 2.Ti.4. Fidei relictionem accusat *Paulus* in Dema, mũdi huius amore præoccupato. *Petrus* fidei in firmitate vacillantes ἀστηρίκτους appellat. Israelitarũ defectionem *Hoseæ* propheta declinantis Hose.4. & deuiæ vel indomitæ iuuencæ similitudine expressit & verbo *Sorerah sarar* duplicato peruersas eius vias & crebris declinationibus impeditas notauit. Arcus fraudulenti & dolosi more Iudeorum defectionem & apostasiam idem Hose.7. propheta describit. Arcus intortus & adductus

magna vi sagittas elidit, sed fallacis & dolosi quem appellat, & arcum fraudis de verbo interpretantur magna frustratio est. Aliorsum enim quam collineauit qui illum intenderat & dolose sagittas iaculatur. Degenerantibus à
Ierem.2. generosæ vitis stirpe ramis quos *Sourei Ieremiam* Prophetam vocasse annotanit, Iudeorum declinationem comparauit. Virum in omnibus vijs suis inconstantem ἀκαλαςάλον *Iacobus*
Iaco.1. nominat, instabilem scilicet & sibi non constantem, & à seipso dissidentem, & velut à seipso diremptum & diruptum. Vt prærupti illi &
Psal.68. confragosi colles quos *Gabnunnim Dauid* nuncupat & gibbosos curuos & excelsos interpretantur, quibus Dei & ecclesiæ hostes assimilantur: qui alta & exaggerata superbia & prorupta & proiecta audacia cõtra Deum & ecclesiam suam insurgunt. Vt periculosa sunt quæ abrupta & confragosa sunt, Sic inconstantis & abruptæ indolis homines sæpe sibi ac perspe alijs pericula creant. Propter morum enim inconstantiam & mobilitatem in rerum administratione varij & multiformes sunt. Aliâs prompti alacres & expediti sunt ad operas, aliâs flaccidi tardi & vel vtroque pede claudi-
Chrisf. ho. de Da. cantes vel altero saltem vacillantes. *Destitutos enim spiritu Dei (vt præclare Chrisostomus inquit) necesse est claudicare in rebus gerendis.* Vn-
Ia.16. de paracleti nomen quod spiritui sancto à seruatore in scriptura tribuitur? Non à consolando solũ sed ab hortando et incitãdo Spiritus sancti

vim

vim & efficientiam designat, & *Haggeus* propheta scribit, Dominum excitasse spiritum *Zerubabel* & spiritum *Iehosua* & spiritum totius populi: & venientes fecerunt (inquit) opus in domo domini exercituum Dei sui. Ac idem propeta insequenti in capite Dei verbis cōpellans eos vt viriliter & animosè ad ædificandas templi operas se comparent, Spiritus meus perseuerabit in medio vestri: Nolite timere. Diuina hæc per Prophetā hortatio illorū auribus insonuit. Spiritus instinctu et afflatu pias ad operas erecti & experrecti redduntur hominū animi, & in illis exequendis & prosequendis constātes & animosi. At qui spiritus expertes sūt illi incōstātia et mobilitate fluctuant, vacillant, et in vado hærent. Nisi enim vi spiritus præclaris in incæptis permaneāt, flaccescunt animi in promouendis diuini cultus officijs, languescit alacritas, hebescit opera, et ad metas hæret. Quā ergo Regibus et principibus heroica hæc in diuino cultu propagando alacritas, fidentia & firmitas apprime necessaria est? Quippe hæc deo debita officia vt præstent vicaria eius potestate funguntur. Quæ illi si diligēter & impigrē deo pro attributa ipsis potestate repræsentent, diuina sibi ipsis propugnacula & præsidia aduersus mundi huius tempestates & turbines comparabunt. Et quum aliqua (vt in humanis rebus solet) mundi contra eos procella inhorrescere cæperit, tū *Davidicam* illam statim ad anchoram fidenter cum illo se applicare possunt. *Te enim expecto, tu respondebis*

Hag. 1.

Hag. 2.

Psal. 38.

spondebis domine Deus. Huius si solacio & præsidio destituantur tum ærumnoso mundi huius in salo iactabuntur & miseriarum in scopulis allidentur. Quocirca tum illis potissimum tum omnibus omnium ordinum hominibus pij propositi constantia & perseuerantia ad salutem, ac etiam ad fortunas, & res dextrè & fæliciter administrandas perneccessaria est. Ac eius non solum inceptionem sed totius vitæ in perpetuitate stabilitatem & perseuerantiã prosequi debent, ne vitæ aut morum inconstantia & viciosa varietate laborent. Istam morum inconstantiam, inæquabilitatem & viciositatem *Basilius* cognomento magnus nota tristiori affecit. Viperis assimilauit, macularum interpunctis & varietate conspersis. Nam vt illæ corporum maculis & interpunctionibus distinguuntur, sic qui mentium & morum inconstantia & inæqualitate laborant, animis & moribus variant, vacillant, & ad quemus appulsum & impetum flexibiles & commutabiles sunt. Pardus innatas et insitiuas à natura maculas habet, quas exuere aut eluere non potest, vt *Ieremiæ* etiam testimonio confirmatur. Et qui animis & moribus maculosi varij et inconstantes sunt, hij interius & exterius affectuum & morum in varietate & dispari inæqualitate versantur. Ac vt viperis & pardis versuta & noxia natura vicio vertitur, sic qui animis & moribus vitæ in decursu varij, dispares, & inconstantes sunt, ne noxias ad machinationes declinent præcauẽdi sunt

Basil. in Hexa. ho. 7.

Ier. 13.

sunt, *Gregorius Nazianzenus Basilij* coæuus, cõtubernalis, & ad studia socius fuit, quum ante susceptos Episcopatus studiorum in spacijs versarentur (*Ruffino* hoc de illis referente.) *Iulianum* Apostatam summæ inconstantiæ & morum & vitæ inæqualitatis (quam in fide & vita expressit.) *Nazianzenus* acriter accusat. Maculosos illos & grandine interpunctos equos qui ad meridiem in *Zacharia* destinati erant à nonnullis Munsterus refert exponi de variatis gentium illarum moribus, quæ erga Iehudæos aliquando lænes aliquando duri & diri fuerunt. Inconstantium multiformes & mutabiles mores & administrationes sunt, qui personam quam assumpserunt deponunt, resumunt, & scenæ pro re nata vt mimi & histriones seruiunt. De polipo pisce proditum est, illum *Petræ* cui adnititur vel soli cui incumbit colorem imitari Insidiosa quippe coloris mutatione quę illi in promptu est, incauti & ex improuiso adnatantes pisces ab eo opprimuntur. Ac ille piscator versutus & varius inopinata præda potitur. Chamæleontem tradunt se in varios colores induere, meticulosum quippe & suspiciosum animalculum & inconstantium apposita effigies est. In limpidis aquis vultus humani effigiem luculenter conspici propter aquæ leuitatem & æquabilem eius planiciem *Basilius* author est, at in niue eandem non aspectabilem esse confirmat, quod eius inæqualis & non continuata superficies sit. Sic morum inæqualita-

Ruffi. eccle. histo. li. 2. ca. 9.

Zacha. 6.

Mun. in scho. super Zach. ca. 6.

Plinius natu. histo. li. 9. ca. 29.

Plin. na. hist. li. 28. ca. 8.

tem & varietatē diuinæ contēplationis luminibus officere scribit. Insignis proinde diuinę gratiæ effectus est, pij quod semel professi sumus propositi cōstanter obseruātes & retinētes esse. Fluctuat enim & vacillat humana infirmitas nisi gratia firmetur, et diuini verbi exercitatione et oratione fulciatur. A principio regni sui Asa rex Iuda pietatis zelo flagrauit. At regni sui sub extremū recto pietatis à cursu deflectēs graues aliquot in offensas incurrebat. Et quū initio Regiæ pietatis lucem subditis suis præferebat, ac *Æthiopes* et Lubin numeroso cum exercitu incursionē in eum fecissent, ille cōfertissimis illorū copijs longe impar, Deo fretus & subnixus, suppliciter & feruēter diuinum subsidiū in rem præsentem implorauit. Tu *(inquit) es Dominus Deus noster ne prævaleat tecum mortalis. Fudit itaque dominus Æthiopes coram Asa & coram Iuda.* Sic scriptura de eius oratione & successu. Quod Deo tum innixius erat præsentissimo in discrimine subsidio illi venit. Verbū *Shaan* quo propheta *Hanani* diuino in præsidio Asæ fidentiā expressit inniti significat, vt quum scipione quis subnixus à casu et prolapsione sustentatur. Pij eius propositi firmitatē qua diuino ex auxilio pēdebat hoc verbo propheta declarauit. At sexto et tricesimo demū regni Asæ regis anno, quū rex Israelis Baasa Rama munitaret et belli gliscētis primordia patefaceret, tum Asa prioris propositi à stabilitate degenerans, ad Benadab regem Syriæ legatos & emissarios summisit, vt

Asa rex Iuda.

2. Para. 14.

2. Para. 16.

illo

ille contra Baaſam ſubſidio ſibi veniret: Ac Ha- 2.Para.16.
nani propheta Dei nuncius & ſequeſter ad eum miſſus vt tantæ illū diffidētiæ coargueret, *Stulte (inquit) egiſti & propter hoc ex præſenti tēpore conſurgent contra te bella.* Quid viciſſim Aſa ad hoc? *Iratus (ſcriptura vt ait) contra videntē tradidit eū in carcerē. Erat enim hac de re cōmotus. Oppreſſit etiā Aſa eodem tēpore quoſdam è populo.* Hactenus ſcriptura. Sic ſolitæ pietatis rectis ab itineribus deuius graues in offenſas incidit. Hoc addito, quod quum nōno & triceſimo Regni ſui anno laboraret expedibus, medicis magis quam Deo fretus erat: et quum ingraueſceret morbus (ſcriptura vt teſtatur) *medicos quæſiuit, nō Domi-* 2.Para.16.
nū. Sic quum ſub initia Regni pietatis luminibus ſuæ poteſtati ſubditis præluxiſſet, & conſtantes diuino in cultu progreſſus feciſſet, poſtea affecta iam ætate, inclinante & vertente Regno pietatis intento in ſtudio langueſcens, eius in perpetuitate claudicauit. Prompti enim ſunt ad prolapſionem principes, & præcipites in ruinas, ſi pietatis infringatur & labefactetur in illis propoſitum, & diuinæ prouidentiæ adminiculis & fuſtentatione priuentur. Aſæ ſucceſſit *Ioſaphat* *Ioſaphat rex Iuda.*
eius filius qui diuinæ legis in populū diſſeminādæ cupidiſſimus erat. Ille regno iam ſibi confirmato proceres cum leuitis & ſacerdotibus per ciuitates Iuda amandauit, qui (*ſcriptura vt nar-* 2.Para.17.
rat) *habebant ſecum librum legis: circūierunt autē per omnes ciuitates Iuda, et docuerunt populum. Irruit ergo pauor Domini ſuper omnia regna nationū*

quæ circumquaq; erant Iuda vt non belli gerorem contra *Iosaphat* & postea. Promouit itaq; *Iosaphat* & creuit in immensum. Hactenus scriptura. At cæteró qui tam pius erat hoc tamẽ crimini illi datum fuit, quod impij Regis *Achab* affi-
2. Para. 18. nitati & amicitiæ indulserit. Et quod cum *Ochozia* impio Rege Israelis amicitiã iniisset & societatem coiisset, & classis instruendæ cum eo communitatem partitus esset, quæ longinqua traiectione in Tharsis nauigaret. Prophetauit au-
2. Para. 20. tem *Eliazer* contra *Iosaphat* dicens, *Quia habuisti fœdus cũ Ochozia percussit dominus opera tua, & contrita sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* Sic *Eliazar* diuinam nunciationem ille renunciauit. Quod ergo in pietatem damni constaurerat, externarum rerum iactura diuinitus dependit. *Ezechiæ* Regis pietas scripturarum luculẽtis testimonijs celebratur, & suæ pietatis ad
Ezechias Rex Iuda. extremũ ille retinens fuit, Cæteroquum a *Merodach Baladam* Regæ Babiloniæ missis legatis cum honorarijs donis, recuperatam valetudinẽ ei gratulatum impensius & profusius indulsit. Non enim audientiam solum illis fecit, sed tam prolixè se in eos profudit (scriptura commemorãte) *vt ostenderet eis omnes cellas aromatũ, argenti, auri, odorum vnguentorium optimorũ, vniuersum armamentariũ suum & quicquid erat in thesauris suis. Nihil erat quod non ostenderet eis Ezechias cum domi suæ, tum per omne regnum suũ.* Hactenus
2. Reg. 20. scriptura. Hanc eius in Babiloniæ regis legatos tantã indulgentiã & proluxitatẽ verbo *Ismach*

Esaiæ

Esaias Propheta expressit : Quod lætatus est exponunt, & simul vniuersam eius in illos profusionem & affectus exuberantiam complectitur. *Esaiæ* postea diuinitus prædictione & cōminatione reprehensus fuit. *Audi (inquit) Esaias verbum Domini exercituum. Ecce dies venient vt auferatur Babilonem quicquid domi tuæ est, & quicquid reposuerunt patres tui vsq; in hunc diem, nec quicquam fiet reliquum dicit Dominus. Quin & ex filijs tuis qui ex te prodibunt, quosq; generabis auferent, & erunt eneuchi in aula Regis Babilonij.* Hactenus *Esaiæ* a Deo ad *Ezechiam* prædictum, quo eius in Babiloniæ Regis legatos nimiam indulgentiam & affectus immoderationem castigauit. Ac alibi de eo scriptura sic refert. *Quodam vero tempore ægrotauit Ezechias lethaliter, & orauit ad Dominum, qui loquutus ei dedit prodigium. At Ezechias non rependit iuxta hoc quod ei impensum erat, quin potius elatum est cor eius vt indignatio excitaretur contra Iudam & Ierusalem, veruntamen submissior factus est Ezechias quum elatum fuisset cor eius & cines Hierosolymitani, vt non veniret super eos indignatio Domini in diebus Ezechiæ.* Hactenus scriptura Ingratitudinis & elationis criminibus scriptura illum accersit, quibus diuinam in se et Hyerusalem indignationem induxisset nisi summa humilitate & supplicatione summisse illam deprecati fuissent. Et causam etiam scriptura memorat ob quam in Babiloniorum Regis legatis nimium effuse & officiose ac-

Esa. 39.

2. Para. 32.

cipiendis

cipiendis suo illum arbitratui & affectus intem-
2. Para. 32. perantiæ Deus reliquerit. *Quum Principes Babilonis (vt scriptura ait) misissent ad eum oratores interrogatum de portento quod fuerat in terra, dereliquit eum Deus vt tentaret eum, notumq; faceret quicquid fuit in corde eius.* Hactenus scriptura. Hac eius derelictione Deum huic tentationi illum reliquisse & permisisse significatur, vt cordis eius recessus exploraret, & affectuum eius infirmitatem & aberrationem patefaceret. Sic suos tentari & explorari Deus patitur, suarum vt infirmitatum & erratorum conscij firmius & cautius illi adhæreseant. Ne suis affectibus & erroribus frenos laxent, sed pij propositi ad perseuerantiam illos exerceat. In promptu enim est humanæ fragilitatis prolapsio & erratio, si pij propositi studium ceu neruus intentus relaxetur. *Iosias* Rex, *Ieremiæ* et Prophetarum deliciæ, quem propheticis lamentis *Ieremias* prosequutus est, tanto diuinæ legis *Zelo* inflammatus fuit vt templum idolorum a cultu et sordibus expurgarit, ac solemne illud pascha a Deo institutum, quod desitum erat celebrari, ceu de rediuiuo instauraurerit. Ac ille quod verbo diuino per *Pharaonem Necho* Regem Ægipti sibi obnunciato non obtemperauisset, Regni et vitæ amissione punitus est in Megiddo. *Constantinus* magni cognomento meritó honoratus fuit, quod de victis Christianæ fidei hostibus tot tropæa statuerit, Ille susce-

Iosias Rex Iuda.

2. Para. 34.

2. Para. 35.

Constantinus magnus.

pto

to Chriſtianæ fidei tuendæ propoſito tam animoſé & fidenter illi inſiſtebat, vt ſæpe de vita & imperio contra fidei hoſtes periclitaretur, & omnia ad extremum verterit, vt illam crudiliſſimorũ tyrannorum a vaſtatione vindicaret Quum enim *Diocletiani* & *Maximiani* atrociſſimis perſequutionibus attrita & pene conſopita fuiſſet, & baſilicarum paſſim ad pauimenta vſq; demolitione (vt refert *Euſebius*) in receſſus et angulos abſtruſa diuina opitulatione illam *Conſtantinus* in lucem reuocauit & pené de redeuiuo excitauit, ac per vniuerſas imperij prouincias diſſeminauit. Hoc ille alto et exaggerato animo propoſitum dum inſequitur, fælices illi ſucceſſus et victoriascontra immanes fidei hoſtes diuina miſericordia confertim ſuppeditauit. Et heroico impetu cõtra ſanguinarios et truces tyrannos *Maxentium*, *Maximinum*, et *Licinium* infeſtiſſimos fidei hoſtes qui populabantur eccleſias, Chriſtianorum ſorbebant et hauriebant ſanguinem bellum ſuſcepit; et illos diuino auxilio fretus debellauit, fudit, et opreſſit, Et poſtquam de illis triumphaſſet et de victis tropæa ſtatuiſſet, admirabili quaq; verſus contra hoſtes in rebus gerendis fælicitate (Deo ſic pio eius propoſito indulgente) vſus fuit. Et corroborata diuinitus eius potentia omnes qui contra illum fidei Chriſtianæ propugnatorẽ et vindicem veniebant, ceu de cælo tacti et percuſſi

Euſe ecclē. hiſto. li. 8. ca. 3.

percussi elanguerunt. Ac quamuis simulato proposito *Maxentius*, *Maximinus*, & *Licinius*, Christianis aliquando blandiebantur, illis vt fucum facerent, ipsi postea ficto & subditicio in proposito deficientes, suis etiam in fortunis in imperio & vitæ huius vsura defecerunt. Simulata cito obsolescunt, quantumuis ad tempus plausibilia, & suis cum authoribus euanescunt. Videamus quid inter illorum leuitatem & simulatum & adulterinum propositum & solidam & germānam *Constantini* in Christianæ fidei propugnatione & propagatione constantiam discriminis fuerit *Maxentius* a principio imperij sui simulato proposito adulterinos Christianis fauores & gratias venditabat; & Romanos vt hac assentatione demulceret, mansuetudinis erga Christianos suppositam personam induit. At postea detracta hac larua & commento deleto, Christiani sanguinis gurges fuit. Ac diuina post vltione *Tiberinis* in gurgitibus fuit demersus. Quum enim ad pontem *Miluium* laquios & tendiculas *Constantino* apparasset, ipse in opinato in illos irruit. Ac in profluentem præcipitatus plumbi instar subsidebat, & nusquam comparuit. *Pharaoni* rubro in mari absorpto illum assimilauit *Eusebius*. Ac quum gurgitibus immersus se expedire quouis modo attentaret; limo & arenis implicatus & retentus fuit: Vt *Cuspinianus* de illo scripsit. Sic illa Christiani sanguinis vorago quæ ficti propositi laqueos Christianis primum tendebat

Maxentii Imperatoris simulatio.

Euse. eccle hist. li. 9. ca. 9.

Euse. de vita Cōstā. li. 1.

Ioha. Cōstā. in vita. Cōstā nag.

debat poſtea diuinæ vindictæ ceu quadam voragine abſorptus fuit. *Maximinus* orientis tyrannus (quem *Maximinianum Cuſpinianus* nominauit facta *Maximini* nominis etiam mentione) poſt perſequutionum in Chriſtianos ſæuitiam manſuetudinis palliatum erga illos propoſitum & perſonam hac occaſione aſſumpſit. Poſtquam *Conſtantinus* & *Licinus Auguſti* legem pro Chriſtianis ſancitam illi tranſmiſſent, vt eius promulgandæ & exequendæ adminiſter eſſet, tum quadam illorum reformidatione ſimulati propoſiti manſuetudinē erga Chriſtianos præſeferebat. Et pro ſummi Dei cultu tantam ad ſe delatam petitionem (vt ficta & fucata eius verba *Euſebius* enarrat) confirmauit. Ac edictum ceu ſponte à ſe profectum in publico proponi curauit. At ille nihilo ſecius ſuum ad ingenium redire promptus erat, niſi diuino iudicio & inuicta neceſſitate coercitus & obſtrictus fuiſſet. Nam a *Licinio* victus & fugatus, *Et (Euſebio his verbis referente) per agros & vicos latitans vix hoſtium manus ſalutis ſua conſulens euaſit.* At Dei elabi e manibus non potuit. *Cuſpinianus* narrat *illum fugitiuum & colonorum turbis ſe immiſcentem in agris latuiſſe, & ne vinus caperetur ſe ſtrangulaſſe. Tharſi Euſebius* plagam illi diuinitus impoſitam fuiſſe refert, ac horribili interitu (quem ſpeciatim deſcribit) periiſſe. Ec prius Chriſti potentiam ſuarum in chriſtianos perſequutionum vindicem & vltricem diſertis verbis

Maximini tyranni ſimulatio.

Euſe. eccle. hiſt. li. 9. ca. 9.

Euſe. eccle. hiſt. li. 9. ca. 10.

Euſe. eccle. hiſt. li. 9. ca. 10.

bis recognouit. Ac *Eusebij* vt verba memorem

Euse. in vita const. mag. li. 1.

Cum Christianorum Deum glorificasset, & legem pro illorum libertate perfectissimam & absolutissimam constituisset, subito cruciatu ita vt nihil temporis superesset vitam finiuit.

Sic de illo *Eusebius* Simulati erga Christianos propositi quod edito edicto professus erat diuina ab illo vindicta pœnas reposcebat: Ac Christi potentiæ veram confessionem viscerum eius ex tormentis & cruciatibus extorquebat. *Licinius* Imperator *Maximinio* tam horribili & miserabili exitu iam extincto, *Constantino* Imperatori coniunctissimus fuit: sororem eius *Constantinam* in matrimonio habuit. In Imperio consors & collega illi fuit, sororiæ affinitatis nexu illi colligatus & arctissimæ necessitudinis & amicitiæ vinculis illi astrictus. Pio promouendæ Christianæ fidei in proposito *Constantino* copulatus & fœderatus, legi pro Christianis ferendæ & promulgandæ *Constantino* assensor & astipulator fuit. Pium ille erga Christianæ fidei propositum præseferebat, & Christianam religionem veneratus erat vt *Zozomenus* scribit. Post mutata sententia & ruptis fidei, affinitatis, & amicitiæ fœderibus perfidiæ & inhumanitatis ceu barbaricis quibusdam notis & stigmatis cõpunctus, *simul iurauit & peieranit.* Vt *Socrates* de illo testatur. Et postquam clandestinis primum & manifestis deinceps persequutionibus sæuire in Christianos pergebat, eo audaciæ prorupit, vt apertũ *Constantino* bellum facere aggrederetur.

Euse. eccle. hist. li. 10. ca. 5.

Zozo. eccle. histo. li. 1 ca. 7.

So. eccle. hist. li. 1. ca. 3.

Has

Hac nimirum ſpe inductus & deceptus (vt *Zozomeni* verbis narrem) *eccleſias hoc in votis habere & contendere vt ab illo ſolo regerentur.* Sed hoc ille dęmonum inſtinctu et magorum inductu ſomniauit, qui illum poſtquam pio à propoſito diſciuiſſet quadam *rabie* dementatum in ærumnas et ruinas præcipitauerunt. Nam terreſtri et nauali prælio poſt victus fuit et ad deditionem redactus. *Ac viuum captum Socratis ut uerbis memorem Conſtantinus humaniter tractauit, nec vllo modo neci dedit, ſed Theſſalonicæ quiete commorari iuſſit. Ille vero modico tempore quietus tandem barbaris quibuſdam collectis victori repugnare conatus eſt. Quo cognito Imperator occidi eum mandauit, cuius etiam iuſſu interemptus eſt.* Hactenus *Socrates.* *Euſebius* narrat tum ipſum tum quos circum ſe habebat lege belli condemnatos competenti ſupplicio traditos à conſtantino fuiſſe. *Cuſpinianus* tradit proficiſcentem *Serras* licinium ſenatus primum authoritate interpoſita à militibus interfectum fuiſſe. Sic ille pio à propoſito defectionem et fidei et fœderum abruptionem imperij et vitæ etiam amiſſione luit. *Conſtantini* iam magni cognomẽto pium propoſitum et heroicum animum, et ad Chriſtianæ fidem prouehendam et propagãdam potentiam et conſtantiam diuinitus corroboratam explicemus. Multorum hoc inſtar erit, et Regibus et Principibus ſẽpiternæ memoriæ ad exemplũ propoſitum. Ille pij huius propoſiti ceu e cœlo

Zozo. eccl. hiſt. li. 1. ca. 3

So. eccle. hiſt. li. 1. ca. 3.

Euſe. de vita Conſtan. mag. li. 2.

Io cuſpi in vita Conſtan. mag.

signifer declaratus, fulguris instar hostium copias & castra prorupit & protriuit. De sanguinarijs tyrannis qui Christianorum sanguinem helluabantur *Maxentio Maximino* & *Licinio* funditus deletis & perditis tropæa statuit. Ille præfidenti in Christum fide & præpotenti & hæroico animo & proposito, fidei nostræ oppugnatores tyrannos, qui offirmato contra illã odio efferebantur, diuinitus proculcauit, protriuit, & ceu quisquillas dispulit & dissipauit. Vetus cos furatus fuit vt de quisquilijs *Dauid* loquitur, quibus impios assimilauit. Imaginẽ illorũ in ciuitate despicabilem reeddidisti, vt alibi de impijs *Dauidis* sermo est. Et quum euchuntur (vt alibi idem ait) vilitates sunt inter filios hominum. Pro despicatissimis censendi sunt quos verbo vilitatis *Zullot* appellat, quod vilitates significat. Quarta *Maxentij* tyranni in Tyberi submersi vilitas erat, quem infestissimi & vilissimi draconis nomine *Constantinus* nuncupauit. Et celebri Rõmæ in loco quem bonorum ibi a publicatione *Eusebius* notauit, victoriæ suæ de illo (quam Christo assignauit) monumentum statuit. Et in sublimi pro foribus Imperialibus tabulam omnium subiectam sub oculis collocauit, in qua draconis effigie stratum sub pedibus suis tyrannum celo ad medium vteri transfixum omnibus videndum proposuit. *Maximus* vel *Maximinus* illius honorariæ statuæ quæ illi passim erectæ fuerant (vt *Eusebius* narrat) deiectæ & proiectæ, *Et risus & ignominiæ eorum*

Psal. 1

Psal. 73.

Psal. 12

Euse de vita constan. magli. 1.

Euse de vita constan magli. 3.

qui

qui eas ludibrio afficere voluerunt exposuæ erant. Et Chriſtianorum quem effuderat ſanguinem ſuis ille ex viſceribus horribili morte dependit, et diuinæ Chriſti potentiæ ſuis viſceribus, & gloriosa eiuſdem ad extremum confeſſione litauit. Licinij etiam poſt mortem ſtatuæ & quæcunque vt *Euſebius* refert ad honorem ipſius pertinere videbantur *tanquam profani (vt inquit) & impiſſimi Imperatoris inſignia* deiectæ ſunt. Et tanta Senatus deſipientia laborauit, vt ad milites retulerint quid de illo decernerent: qui in profectione ad Serras illum obtruncarunt, vt *Cuſpinianus* refert. Solus ergo *Conſtantinus* monarchia iam potitus, fidei & pietatis propoſitum (in quo contra omnes eius oppugnatores diuinitus iuuabatur) pro poteſtate quantacunque potuit, illuſtrauit. Tantorum ſucceſſuum, & victoriarum authori gratiſsimus vicariam illi operam rependit, & Imperatoria ſeruitia, & obſequia Chriſto viciſsim conſecrauit. Chriſti enim fidem *Diocletiani*, & *Maximiani* antea in perſequutionibus demolitis eccleſijs pene attritam & conſumptam, et poſtea *Maxentij*, *Maximini* & *Licinij* immanibus perſequutionibus deuaſtatam, *Conſtantinus* per omnes imperij prouincias quaqueuerſus diffundi & diſſeminari curauit. Tum primum & prædicabile illud edictum pro Chriſto a blaſphemijs vindicando promulgatum fuit. Qui blaſphemauerit Chriſtum, rapite plectatur vt illud *Cuſpinianus* recenſet. Tum bea-

Euſeb. eccle. hiſt. li. 10. cap. 11.

Io. Cuſpi. in vita Conſt. mag.

Io. Cuſp. in vita conſt. mag.

tum & nouum seculum, tali sub Imperatore illuxisse, quale sub solis radijs nūquam vidissent, homines confitebantur, vt *Eusebius* memorat. Sed ille Christianorum Regum & principum ceu antesignanus *Constantinus*, cuius diuinitus communitam potentiam nullæ mundi huius quantumuis aggregatæ copiæ perfringere ac labefactare potuerunt, nec fidei & pietatis constanti à proposito dimouere, ad extremum tamen subornatis contra orthodoxam fidem insidijs & machinationibus ad præstandas Arrianis gratias & impertiendā authoritatem incautè seductus & ex improuiso adductus fuit. Operæprecium Regibus præcipuè & principibus hoc spectatu est: quem scilicet nulla vis mundana pij propositi à gradu & statione deijcere potuit, Arrianæ tamen perfidiæ coriphæi illum ex insidijs & velut cuniculis adorti, ad multa ex inopinato, illorum quæ à partibus facerent, induxerunt. Amicorum scilicet allegationibus, aulicorum susurrationibus, & Arrianorum externæ personæ & authoritatis (ad quam subrepserant) venditatione fucum rectè sentienti & optimarum partium Principi, suis fallacijs & fraudibus fecerunt. Ac ab incauto & Arrianorum perfidiam & fraudum fabricas nondum suspicanti, gratiæ & fautorum adiumenta & incrementa adepti sunt. Hac illi ratione suis fraudibus & fabricis viam muniebant, vt aulicorum & intimorum qui gratia & authoritate apud illum florebant, fer-

Euse. de vita constan. li. 2.

munculis

munculis & rumuſculis ipſius auribus inſtillatis ſuæ factioni gratiã & authoritatem apud illum eblandirentur. Sed *Athanaſio* & Orthodoxis illum offenſiorẽ et acerbiorem reddiderunt Arianorum qui coriphæi erant nominatim & ſimul a *Socrate* recenſentur. *Euſebius, Theognis, Maris, Patroph lus, Vrſac us, & Valens.* His cum ſuis aſſectatoribus & in aula fautoribus, & adminiſtris ſubornatis & ementitis criminationibus pij Imperatoris aures percellebant. Accuſationum quædam portenta & ceu odioſa ſpectra contra *Athanaſium* auribus eius ingerebant. De Arſenij amputata manu, qua *Athanaſium* ad magias quaſdam vſum fuiſſe criminabantur. De Macarij ab Athanaſio miſſione qui menſam ſubuerterit, poculum myſticum fregerit, & ſacros libros combuſſerit. Et alias huius generis accuſationum laruas & commenta, quæ à *Socrate* commemorantur, Imperatoris aures obtundebant, & eius ab *Athanaſio* animum alienabant. Proinde *Dalmatio nepoti ſuo primum ſcribit, vt accuſatos iudicio ſiſtat, et cognita cauſa pœnas de conſectaſ ſumat. Socratis enim verba hæc ſunt: At mutato animo poſtea ad Tyrum Epiſcoporum Synodũ conuocauit ad templum quod Hyeroſolymis erexit conſecrandũ, obiter igitur in ciuitate Tyro collectos Epiſcopos Athanaſij cauſam explicare præcepit, diſertis vt verbis Socrates affirmauit.* Ibi forũ agitur contra *Athanaſiũ* de Arſenij manu amputata & ad Magiæ abuſiones tranſlata. De hoc tam

So. eccle. hiſt. li. 1. ca. 35.

So. eccle. hiſt. li. 1. ca. 37.

immani,& probroso scelere quum ad subsellia *Athanasio* dicendum esset *diuina prouidentia,vt speciatim,& insigniter Socrates annotauit,Arsenium tyrum accedere perpulit. Neglectis enim mandatis,quæ ipsi calumniatores vna cum pecunijs dederãt(vt Socratis verba citem)vt videret quæ gerenda essent;clanculum aderat.* Ibi tum quum de Arsenij manu truncata,& qui ab *Athanasio* occisus dicebatur (vt refert *Socrates*) accusatio ferueret,& tumerent res,& aures calerent, coram adductus *Arsenius* fuit : altera sub pallio manu occultata, quasi mutilatus altera fuerit. Ac cum alteram deposcebant vt suspicioſe contectam ostenderet,*Paululum(vt Socrates narrat)moratus reddidit eos dubios. Tum abiecta(inquit)mora alteram pallij partem reuoluit,& simul alteram Arsenij manum Athanasius ostendẽs præsentibus sic dicit,Arsenius quidem ambas manus sicut videtis habere deprehenditur, locum vero tertiæ manus vnde illa desumpta sit ostendant accusatores,* Socrates his verbis tantæ criminationis exitum enarrauit.Sed has,& huiusmodi alias subditicias,& falsas accusationes Imperatoris auribus inculcabant. Ac fictorum facinorum externo quodam sono & tinnitu eius aures implebant, & quodammodo terebant. Quum enim Nicenam,& Orthodoxam contra Arrium fidem apud pium principem manifesto, & aperte infringere, & infirmare non potuerũt,alia via ceu declinatione quadam,& flexu, vt ad propositum aspirent,sibi progrediendum esse

eſſe ſtatuerunt, Nam niſi *Athanaſium* è medio ſummouerint, quem ceu orthodoxæ fidei quoddam propugnaculum in via quam affectabant obiectum eſſe cernunt, Arrianæ perfidiæ ne ſe efferat, omnem aditum, & viam obſeptã, & intercluſam vident. Hoc etiam à *Socrate* annotatum eſt. *Sperabant enim (ipſius vt verbis memorem) hoc tantum pacto Arrianiam hæreſim obtẽturam, ſi Athanaſius è medio tolleretur. Acium igitur contra illum dirigunt Euſebeius Nicomediæ Maris Chalcedonæ, Vrſacius Singidoniæ ſuperioris Pannoniæ, & Valens Murſenſis Pannoniæ. Conducunt hi mercede quoſdam ex hæreſi Moletiana.* Socratis hæc verba ſunt quibus Arrianorum qui ſigniferi & Epiſcopi fuerunt propoſitum explicat, quare ſubornatis & ſuppoſitis criminibus *Athanaſium* loco mouere, & epiſcopatu deijcere molirentur, vt ſuis fabricis felicior via, & aditus ad Imperatorem pateret. Hoc vt efficerent non ſolum ſuam apud eum gratiam & authoritatem uenditabant, epiſcoporum qui in albo erant, ſed ſuos etiam in aula fautores, & aſtipulatores habebant, qui contra *Athanaſium* Imperatoris in aures inſuſurrent, & illi odium, & periculum crearent, *Arrianis* vero gratiam, & authoritatem aucuparentur. Hoc etiam aulico contra Athanaſium aucupio Arriani uſi ſunt. Precipue vero Arriani cuiuſdam ſacerdotis, qui magna apud Imperatorem fuit in gratia, ſtudio & opera impenſe vſi ſunt. Ille Cõſtantiæ ſororis Conſtantini inſigni commen-

So. eccleſiaſt. li. 1. cap. 27.

datione gratia & authoritate multum apud Cōstātinū valuit. Sororis suæ Cōstātiæ Licinij relictę ille Arrianus presbiter ita subrepsit in gratiā, suā vt ei contagionem afflauerit: & (*Ruffini* vt verba sunt) animos Constātiæ suos efficeret. Hac ille machina Constantini animū Arrianorū ad gratiā inflecti posse sperabat. Ac illam animā iam agentem quum inuiseret *Constantinus*, hanc ab eo extremam gratiam popoſciſſe *Ruffinus* refert, vt presbiterum hunc ſibi haberet commēdatiſſimum, ac in his quæ pro ſalute ſua ipſum commoneſaceret, benignam illi audientiam faceret. *Se quidem iā ex hac luce diſcedentem nihil curare, vt Ruffinus verba eius recitat: pro fratris vero ſtatu eſſe ſollicitum, ne forte pro innocentiū pœnis regni ſui pateretur excidiū.* Tum huius extremę commendationis euentum *Ruffinus* his verbis proſequitur. *Quibus (inquit ille) monitis a ſorore ſuſceptis & fidelem pro ſe germanæ ſollicitudinem credens, accommodauit aurem presbytero, & interim accerſiri de exilio Arrium iubet, vt quēadmodum de fide ſentiret exponeret.* Ex his *Ruffini* verbis liquet, quomodo Arrianus hic presbiter vltima ſororis ſuæ rogatione illi contraditus & commendatus, eius ſe in ſinum inſinuauerit & intimam eius in gratiam irrepſerit. Sic contra Arrium demitigatus fuit eius animus, vt illum de exilio reuocari iuſſerit, Qui ſubditicia & inſidioſa fidei ſuæ ſcriptione & explicatione verbis (vt videbatur) cum orthodoxa concinente, at ſenſu diremta (vt *Ruffinus* ſcribit) *Conſtantini*

Ruffi. eccle. hiſt. li. 1. ca. 11.

Ruffi. eccle. hiſt. li. 1. ca. 11.

tini verborū quibus dā integumentis inobscurauit intelligentiā, et oculos perstrinxit. Et sua etiā ex sodalitate episcopos assensores & subscriptores reperit, qui illū perfidię (cum ipsi affines erāt) absoluerent & illum *Constantino* cōmendatiorē redderet. *Eusebius* Nicomediæ Episcopus post acceptas ab Arrio literas cępit et ipse suā impietatē euomere. Hæc enim eius de illo verba sunt. Ac alij, qui in Nicena Synodo aderant episcopi, Arrio patrocinabantur, primū *Menophantus Ephesinus*, *Patrophilus Scythopolitanus*, *Theogonius Niceæ*, itemq; *Nerodiadis Narcissus*: Et cum his *Theonas Marmaritanus* & *Secundus Ptolemaidis Ægiptiæ* Episcopus. Hi à *Theodorito* ei numero accensi sunt, qui Arrij primum patrocinij sustulerunt. At hi, Synodo contra illorum perfidiam tumultuante, metu perculsi (Secūdo & Theona exceptis) suis subscriptionibus synodi fidē confirmarūt. Sed fraudulēter nō simpliciter (referēte *Theodorito*) cōsenserunt. Testimonio (inquit) sunt ea quæ postea ipsi mouere cōtra propugnatores pietatis. Ac Arrij factionē ad improbissima cōsilia reuersos fuisse idē *Theodoritus* alibi affirmauit. Et idem alibi detracta illis larua et simulādi integumento exutos Hac (inquit) de causa manus nō subtraxere cōcordiæ fidei, quo induta ouium pellibus vt lupi graſſari possent. Sic illos simulādi artifices ex vmbraculis in lucē produxit *Theodoritus*. Illi enim personarū quas gerebāt externa pompa et ostentatione & cōpositis cōtra *Athanasium* calumnijs

Theod. eccle. hist. li. 1. ca. 5.

Theodo. eccle. hist. li. 1. ca. 7.

Theod. eccle. hist. li. 1. ca. 18.

apud imperatorem inuidiam illi conflabant, & odium struebant. Quippe Arrianam quæ in illis interius flagrabat perfidiam simulandi fuco exterius, & externæ authoritatis sub pompa tegebant. Et quum *Antiochenus* præsul *Eustathius* veritatis magnus propugnator (*Theodoritj* vt de illo testimonium est) *Eusebij* qui tum Cõstantinopolitanum presulatum occuparat (vt idem affirmat) & aliorum, qui Arriano ex sodalitio erant Episcoporum coniunctis operis, & subornatis impudentissime calumnijs in exiliũ pulsus fuit, alios illi *Eustathij* in locum surrogandos curarunt, quos nominatim *Theodoretus* recenset. Atq; hoc de illis corollarium subijcit. His inquit cunctis Arriana labes inerat. Ac *Eusebius* Arrianorum antesignanus occupato præsulatu Constantinopolitano potentiæ suæ (vt commemorat *Theodoretus*) incrementa faciebat: *& familiaris effectus imperatori confidentiaq; de frequenti consuetudine capta (his verbis affirmante Theodoreto) aduersus propugnatores veritatis rursus produxit machinas suas.* Ac ille & cæteri Arrianorum de cohorte Episcopi postquam Constantini se in gratiam, & familiaritatem immersissẽt, assiduis & subditijs contra Athanasiũ calũnijs animum eius pepulerunt, & aures obtundebant. Ac Arrianus ille presbiter constantinæ sororis appetẽte iam morte ultima petitione illi deditus, & deuotus Constanstini in occulis erat & auribus. Præsto illi sẽper ad manũ aulicis in cõmercijs fuit Arrianorũ deprecator, et sequeiter

Theod. eccl. hist. lib. 1. ca. 20.

ſter omnes pro illis fauorū vētos et flatus in aula colligebat. *Eunuchi*, etiā in palacio illis fauebant (vt *Ruffinus* refert) Ac *Arriano* illo quaſi prodromo & emiſſario velificabātur. Horū etiā ſuſurris, & rumuſculis aſſidue Imperatoris auribus cōtra Athanaſiū inſtillatis ſtructas malitioſe contra illum criminationes, ceu malleolos, & ſparta ad accendendum eius animū adhibebāt. Ac vt petra quātūuis ſua ſoliditate etduritate nulli impreſſioni cedit, guttis tamē aſſidue inſtillātibus ſenſim exterebratur: Sic piū eius orthodoxa in fide propoſitum, quod aperte inflectere aut infringere nec audebant, nec ſperabant, atrocibus in ſpeciem contra Athanaſium ſubornatis calumnijs, & omni ex latere admotis machinis, quadam aberratione inducebant, vt Arrianorum ad placitum multa, quæ illis plauſibilia erant contra Athanaſium & orthodoxos inſcius concederet. Hoc enim illis ſummē ſtudio erat, vt Athanaſium ceu orthodoxæ fidei columnam diruerent, & epiſcopatu exturbarent. Illius enim ex ruinis *Arrianæ* perfidię ſubſtructiones potiſſimum pendere exiſtimabant. Proinde nouæ criminationis contra Athanaſium commento Imperatorem adorti ſunt, & quod propius Imperij fortunas & vectigalia attingeret. Qui cum *Euſebio*, *Theogne*, *Mari*, *Pamphilo* Vrſacio, & Valente erant (vt *Socrates* narrat) non permiſerunt, vt amplius de poculo fracto, vel de menſa ſubuerſa, vel Arſenio occiſo quęrantur. Hæc illi pro derelictis habenda cenſebant

Ruffi. eccle. hiſto. li. 1. ca. 11.

So. eccle. hiſto. li. 1 ca. 35.

bant aliam & inauditam de nouo calumniam coram *Constantino* illi intentabant, minatum nempe Athanasium sese impediturum ne frumentum *Alexandrinis* imperari consuetum, Cõstantinopolim trãsportetur, vt solemne illorum temporũ erat. Qui huius calũniæ structores *Adamantium*, *Amibionem*, *Arbastionem*, & *Petrum* episcopos ex ipso Athanasio audisse se hoc dicebant: ex *Socrate* hæc commemoramus. *Iratus tum imperator Athanasium in exilium ejicit & Gallias incolere iussit. Egit itaq; Athanasius apud Treuirensem ciuitatem Galliarum*, *Socrates* his verbis exilij eius locũ annotauit. *Ac*, *Theodoritus vt narrat*, *Accusatoribus fide habita*, *Imperator in vrbem eum Gallarum releganit nomine Treuerim*, *eratq; annus ille imperij ipsius tricesimus*. Quanta exilio Athanasij orthodoxæ fidei plaga imposita fuit? Quantum imprudenter & insciẽter hoc facienti *Constantino* a pio tuendæ orthodoxæ fidei proposito hac aberratione decessit? Quamuis enim orthodoxæ fidei firmitatem cõstanter retinuit, nec aperte contra illam vel fari, vel moliri aliquid auderent, consciij eius orthodoxa in fide studij, & propositi, attamen minus præcautæ & prouisæ illi erãt Arrianorũ versutæ & veteratoriæ fraudes, & malicioſæ & insidioſæ calumniæ, quas ceu amentatas hastas contra Athanasium vibrabant, vt eius apud Imperatorem authoritatem vellicarent, & animum eius contra Athanasiũ inferẽdis criminibus exulcerarent. Ac vitæ ad extremũ, quum mors in propinquo

Theo. eccle. histo. li. 1. ca. 30.

propinquo iam esset, sic illum ejecti Athanasij pœnitebat, vt (his verbis attestãte Theodorito) *Restituit Alexãdriæ decreto suo Athanasium, quãuis adesset Eusebius, & summis viribus dissuaderet.* Hoc etiam cõfirmant literis suis ad Alexandrinos scriptis *Cõstantinus* Cæsar maximus natu filiorũ *Cõstantini* magni, qui in Gallia occidentali imperabat, vt a *Theodorito* cõmemoratũ est. *Cõstãtinum patrẽ hoc in votis habuisse & voluisse dum viueret, sed quia humana (vt scribit) sorte prevẽtus voti cõpos non fuit,* officiũ meũ duxi diuinæ memoriæ Imperatoris sequi & explere voluntatẽ. Hoc ex literarum eius exẽplo, suæ quod historiæ Theodoritus inseruit, excerpsimus. *Zozomeno* etiã hoc testimonio confirmatum est, qui testatur Cõstantinũ dũ in viuis esset reuocari Athanasiũ iussisse, & hoc suo in testamento statuisse. Sed quoniam morte præuentus erat, filium eius Cõstantinum datis Athanasio ad populum Alexãdrinum literis reditum illi promisisse. Ac literarum Constantini exemplum similiter ab *Hermio* Zozomeno descriptũ est. Pœnitenti (aiunt) portus, mutatio consilij: Constantinus ille magnes ante mortẽ suæ de Athanasio sententiæ mutationẽ Deo litauit. Theodoritus ex naturæ cõmunis lubricæ ad errorem & lapsum fragilitate tãtum Principis de Athanasij exilio aberrationẽ excusauit & vaferrimam Arrianorum perfidiam tot simulationum velis obductam accusauit. *Credidit (inquit) pontificibus & cælantibus quidem improbitatem, sibique imponentibus specie &*

Theo. eccle. histo. li. 1. ca. 31.

Theo. eccle. histo. li. 2. ca. 1.

Her. Zozo. eccle. histo. li. 3. ca. 2.

The. eccle. histo. li. 1. ca. 32.

claritate

claritate sua. *Socrates* aliquos in hac opinione fuisse asserit, hoc Athanasij in electione propositi *Constantino* fuisse ecclesiã vt vniret eo quod Athanasius (vt ait) cõmunione eorum qui cum *Arrio* erant, ommino auersaretur, Ac idem *Socrates* alibi refert, Constantinum minaciter ad Athanasium scripsisse, ab his qui cum *Eusebio* erant contra illum instigatum, quod *Arrium* ecclesiæ in communionem recipere prorsus recusaret. Hoc Imperatoris ad eum in literis perscriptum fuit. Si cognouero quod aliquos eorum, qui ecclesiæ studeñt prohibueris, aut ab accessu ecclesiæ excluseris, mittam euestigio, qui te meo iussu deponat, ac locum tuum transferat. Et statim *Socrates* subijcit, Hæc scripsit Imperator animo commodandi ecclesiæ, nolens illam discerpi. Sic de *Constantini* proposito *Socrates*. Atque hoc *Athanasius* existimauit esse lupum ouibus immittere, qui gregem dissipet, & dilaniet. Sed *Constantinum* illum pij propositi, & orthodoxæ fidei ingenue colentem, nimis tamen flexibilem, & *Arrianæ* factioni indulgentem per errorem ignarum, & inscientem vafrè, & veteratorie positis in occulto insidijs effecerunt, *Eusebius Pamphili* locupletissimus laudum eius scriptor, illi coæuus, & *Cæsariæ* palestinæ *Nicena* in synodo episcopus, hanc illis temporibus tantis beneficijs sub tanto Imperatore diuinitus cumulatis labem irrepsisse ingenuè fatetur. Indicibilem (eius verbis vt expli cem) eorum simulationem,

So. eccle. histo. li. 1 ca. 27.

Euse. de vita Constan. li. 4.

lationem, qui in eccleſiam ſubrepſerunt, & nomen Chriſtianum ficté prætexuerunt. Hanc illorum temporum labem, & maculam *Euſebius* notauit, quæ fælicem alioqui eius gubernationem nimia ad credendum facilitate, & propenſione infuſcauit, & deformauit. Omnibus ergo Regibus, & Principibus *Conſtantinus* ille cognomento magnus toties victor, & triumphalis, et Chriſtianæ fidei tantus a tyrannis vindex, et eius tantus alumnus, et amplificator exemplo in omnem poſteritatem eſſe debet. Ne vultuoſæ quorumcunq; hominum perſonę venditatione, quam ſibi *Arriani* aſſumebant, vel eblanditis gratijs, ſermunculis, ac humani artificij quibuſcunq; fabricis, ſe pij propoſiti generoſa et heroica a firmitate, et profeſſione tranſuerſim abduci patiantur. Neue rectis a vijs et itineribus in aliquos humanarum affectionum, et opinationum flexus, et diuerticula ſe abripi ſinant. Qui manifeſtè ſuas aberrationes, et corruptelas prodere non audent, hij per pſeudotyron, et poſticum clam ingredi, et res ſuas aggredi moliuntur. Hi quod in propatulo facere aut dicere verecundantur, clandeſtinis artificijs, ſuſurrationibus, rumuſculis, et obliquis, et practicis (vt apellant) rationibus tentant, ac vt efficiant omnes neruos intendunt. Quid *Arrianus* ille presbyter qui *Conſtantiæ* ſororis *Conſtantini* rogatione ita ſe penitus illius ſe in gratiam, et ſinum inſinuauerat? Ceu ſerpentem in ſinu fouebat. Qui ſerſim

sim, et furtim suum illi venenum instillabat, et insusurrabat : et qui aperta oppugnatione, et impulsione fidei eius firmitatem attentare non audebat, ille tebriculæ instar frequentes in eo commotiones & tentationes excitare satagebat, vt aduersus Athanasium & orthodoxam fidem illum incitaret. Proinde Principes sollicité se præmunire debent aduersus eos qui simulandi artificio pollent, qui omnes rimas & angulos perlustrant, vt insidiosis sermonibus viam munitet & suis erroribus nimiam indulgentiam & licentiam comparent. Quantum in Constantino magno huiusmodi homines, non bene prouisis illorum insidijs profecerint, ostendimus. Et hoc eius exemplum tusius pertractauimus, quod multorum instar esse possit. Præterea Constantini Imperatoris filij & orientali in imperio successoris Constantij inconstantia acerbissimé ecclesiam afflixit, orthodoxã fidem labefactauit, & rẽpublicã turbarum ceu quibusdam vndis & fretis grauissimé iactauit. Quem licet orthodoxæ fidei studentem Arriani tamen suas ad factiones & fabricas incautum inflexerunt, & contra orthodoxos impulerunt. *Theodoritus Cyrensis.* Episcopus in Constantiam eius Euripo assimilauit, qui suas sursum versus vndas curtus & recursus septies eodem die reciprocat : sic gratijs quandoq; affluebat Cõstantius, ac offensionum aliàs ceu quibusdam vndis in contrarium refluebat. Eundem etiam arundini a contrarijs ventis agitatæ idem Theodoritus comparauit. Quod

Theo. eccle. histo. li. 2. ca. 3.

vt illa nutando & flectendo varié ventilatur: Sic ille inter orthodoxos & Arrianos ſæpe nutabat & variabat. Quamuis tam comutabili et vario fuit animo, orthodoxæ tamen fidei et ſententiæ colẽtem fuiſſe *Theodoritus* his verbis atteſtatur. *Etſi (inquit) Cõſtantius non admittebat vocem coeſſentialitatis, circumuentus ab his qui quouis eum ducere poterant, ſignificationem tamen manifeſtè cõfitebatur: quod diceret filium germanum ante ſecula ex patre genitum, Deum verbum, prorſus abdicatis ijs, quæ auderent conditum dicere filium. Simulacrorum autem cultũ funditus deleuerat.* Hactenus *Theodoritus*. Ac *Conſtantij* conſcientiæ pij propoſiti, & orthodoxæ lumen inhæſiſſe, argumento hoc eſt, quod Aetij a blaſphemijs, quum audiẽtiam illi feciſſet, abhorrens illius animus fuerit. Ac propterea (referẽte Zozomeno) accerſitis ex Bithynia epiſcopis eo epiſcoporũ in conſeſſu Aetium deponunt. Quãquam quoſdam in hac ſententia fuiſſe, vt putarẽt ſimulaté illud potius quam ſolide ab illis factum fuiſſe, vt ſuſpicionem Imperatori eximeret, Zozomenus refert. Et hoc pietatis in Conſtantio inſigne documentum *Theodoritus* etiam cõmemorat (verbis vt illius recitem) laudabile factũ illius, vnde facile poſſit coniectura fieri de ſtudio erga res diuinas illius. In expeditione enim belli Magnentiani coactis copijs vniuerſis ſuaſit, vt diuina ſecum miſteria communicare vellent. Semper enim incertum eſſe finem vitæ, multo autem maxime in bel-

Theo. eccle. hiſto. li. 3. ca. 3.

Zozo. eccle. hiſto li. 4. ca. 23.

Zozo. eccle. hiſto. li. 4. ca. 24.

Theo. eccle. hiſto. li. 3. ca. 3.

lo.

lo. Et hoc extremum sancti eius sermonis ad milites Theodoritus refert. Qui hoc facere detractuerit dimittione illis se denunciare, cum hoc elogio nam nisi mecū mutatus in bello socijs vti non volo. Hoc eius pietati etiam a Theodorito testimonium datum est. At ille tamen a proposita fidei, & pietatis sanitate non perspectis, & perlustratis Arrianorum insidijs, illorum tandem ad factiones, & partes contra orthodoxos abreptus fuit. *Basilium* enim Galatam, *Eustathium* Armenium, *Sylvanum* Tarcensem, *Eleusium* Cizicenum orthodoxæ fidei Episcopos, quod coessentialitatis vocem (quæ scripturæ germanis è fundamentis orta & prognata est) renunciare detrectassent, ecclesijs suis expulit, & alios surrogari præcepit, vt *Theodoritus* hanc historiam percensuit. Et hæc eò loci eius de *Constantio* testificatio est, nullo illum in discrimine posuisse consentientes secum, & dissentientes. Sub illo orthodoxa fides in Synodis sub Arrianis laborabat, & periclitabatur, ac illi sæpe ceu insignite illis addicto, & dedito *Constantio* potiores ferebant. *Mediolanensi* in sorte quum Arriani contra Athanasium subscriptionem vrgerent, ac illorum dolum occidentales orthodoxæ fidei Episcopi quiderant, odorati fuissent, grauiter, & dolenter illi de Arrianorum contra orthodoxam fidem dolo conquesti sunt. Tum *Constantius* ceu facem illi ad orthodoxæ fidei incendium Arrianis præferentibus *Dionysium, Eusebium, Paulinum, Thyanæum, Lucifernm,*

The. eccle. histo. li. 2. ca. 27

Ruffi. eccle. histo. li. 1. ca. 20.

Luciferum, *Hilario* illis etiam adiuncto, orthodoxæ fidei occidentales Epiſcopos exilio affecit, vt *Ruffinus* hanc hiſtoriam pronunciauit. *Ariminenſi* in Synodo acerbior, & offenſior occidentalibus orthodoxæ fidei Epiſcopis Arrianorum inſtigatione Conſtantius factus eſt. Ac *Socrate* his verbis referente, Imperator (inquit) quoniam antea Arriano dogmati fauebat, ſuccenſuit Synodo, eos, vero qui cum Vrſatio & Valente (Arrianorum partium Epiſcopi primarij illi erant) multis honoribus affecit. Hactenus *Socrates*. Ac idem deinde his ſubijcit. Qua propter (inquit) his qui cum Vrſacio & Valente erant, quæcunque ipſis videbantur confidenter contra eccleſias moliri permittit. Sic quomodo Arriani ſuarum partium & factionum ad fauores & incrementa Conſtantio ceu illis quodammodo dedititio vtebantur, *Socrates* expoſuit. Seleucia- *Theo. eccl. hiſto. li. 1.*
na in Synodo quãtum ab Arrianis & Acacianis & illorum qui ex gregalitibus erant negotij orthodoxæ fidei epiſcopis faceſſitum fuit? Sic altercatum & tumultuatum ab illis fuit, vt Leonam & Lauritium principes qui Synodo præſidebant, tãtarum altercationum tæderet, Theodoritus hanc hiſtoriam explicauit & Leonam qui Synodo vt præſideret cum poteſtate ab Imperatore obligatus fuit, manifeſte etiam cum Arrianis ſenſiſſe Zozomenus tradit. Sic *Zozo. eccl. hiſt. li. 5.*
Conſtancij Imperatoris inconſtantia & incogitantia, dum humanis gratijs, ſermonum aucu- *ca. 4.*

pijs, & vetaratorijs Arrianorum fraudibus & fabricis nimis propensè & incaute indulget, non solum priuatim, sed publicis etiam in Synodis orthodoxa fides afflictabatur, & grauissime laborabat, fluctuare cæpit orthodoxa fides & in ancipiti esse: Nouis & subdititijs fidei formis distrahebantur & dilacerantur ecclesiæ: labyrinthum expositionum *Socrates* illas vocat. Nouem enim fidei varias varijs temporibus formas post Nicenæ expositionem ædidisse illos testatus est. Quid ista in Ecclesijs tumultuatio & Arrianarum blasphemiarum venditatio, quam nimis inconsideratè & incautè Constantij inconstantia aluit & nutricata est, quàm quædam in posterum ad apertam infidelitatem & idolamaniam prolusio: quæ in Iuliano Apostata Constantij statim successore erupit. Quæ vltima vitæ Constantij clausula fuit? Quum inaudisset Iulianum postea Apostatam nuncupatum faliciter contra Barbaros præliantem ab exercitu Imperatorem creatum, doloris magnitudine morsu & contractione, quum contra illum copias duceret, Apoplexia correptus ad *Mopsi* fontes (narrante *Socrate*) vitam finiuit. Ac intima pœnitentia affectus acerbe conquestus est (*Theodoriti* vt verba sunt) quòd fidem immutauisset. Ac eius de exitu his verbis *Theodoritus* commemorat. In itinere (inquit) vita sua defungitur in Cilicia; carebat enim opitulatore sibi à patre relicto, cum non seruasset hæreditatem

Soc. eccl. hist. li. 2. ca. 41.

Soc. eccl. hist. li. 2. ca. 46.

Theo. eccla. histor. li. 2. ca. 32.

ſynceram pietatis paternæ: Diuina illum contra Apoſtatam opitulatione deſtitutum exiſtimat, quod patris Conſtantini à pietate (qui Chriſtianæ fidei tam præclara fundamenta iecit & incrementa adiecit) Arrianorum ad gratias & partes tanta propenſione deflexerit, & illis euehendis orthodoxæ fidei & eius cultoribus grauiſſimas plagas & vulnera impoſuerit. Sed imperij & vitæ huius in occaſu acerbe indoluit. Omnibus ille Principibus exemplo eſſe poteſt, ne pio à propoſito defectione & animi & morum inconſtantia ceu in altum prouecti in ſalo iactentur. Neue fluctuantes in fide, ipſi ſuis etiam in fortunis fluctuent, & illarum deſtitutione laborantes & periclitantes ipſi etiam extremo in periculo deſtituantur & diuino ab auxilio orbati ſint. Arundinis agitationi, & commotioni illius inconſtantiam *Theodoritus* aſſimilauit. Aliam iam eodem in imperio conſimili & æquali cum poteſtate arundinem conſideremus. *Anaſtaſium* ſcilicet poſt Chalcedonenſe conſilium Imperatorem, qui Eutichianæ hæreſeos fuligine & fumo infuſcatus ante imperium fuit, & eius ſuſpicione laborabat. Propterea Euphenius Patriarcha Conſtantinopolitanus literas ab eo exegit (vt *Cuſpinianus* narrat) quibus orthodoxæ fidei in imperio cauit. Ille ſua manu chirographum exarauit, & eccleſiæ decretis ſuffragabatur, & quæcunque in Chalchedonenſi conſilio decreta fuiſſent ſe defenſurũ eſſe pollicebatur, *Cuſpi-*

Anaſtaſius Imperator.

Io. Cuſpi. in vita Anaſtaſij.

nianus vt refert. At hoc proposito postea, quum imperium inibat, susque deque ecclesias perturbauit & miscuit, & Euagrij vt verbis narrem, *ne inter se quidem communicabant siue Orientis, siue Europæ, siue Libiæ, siue externarum nationum Episcopi.* Sic ecclesias distractas & dilaceratas reliquit: ac imperium ita bellis & seditionibus flagrabat, vt vix *Iustino* succedente (*Cuspiniani* vt vtar verbis) respiraret. Ac sic fulminum & tonitruorum illum metuentem fuisse *Cuspinianus* narrat, vt illorum formidine cubicula sæpe mutaret. Tandem (vt ille ait) mortuus in quodam cubiculo inuentus est, existimatur (vt *Carion* ait) fulmine periisse, mortuus inuentus est. Eius ergo exemplo commonefieri debent principes, orthodoxæ fidei & pietatis propositum vt firmiter vitæ ad exitum insequantur, ne fulgurantis & tonantis terroribus quatiantur, & ne vltionis diuinæ in eos exemplum statuatur. *Iustinianus* Imperator, qui legum digestis, institutionibus, & codice sui nominis clarissima monumenta ad posteritatis memoriam reliquit, orthodoxæ fidei propositum, & Chalcedonensis consilij contra Eutichē determinationis patrocinium susce pit. Sed vitæ sub extremū orthodoxæ fidei propositū abrupit, ac grauissimæ hæreseos ad scopulū appulit. Sic illam hæresin Euagrius explicat, corpus domini incorruptibile vocauit & naturalium & inculpatarum passionum haud quaquam capax fuisse dixit. Sic ante passionem comedisse quē-

admodum

Euag. eccl. hist. li. 5. ca. 30.

Io. Cuspi. in vita Anastasij.

Carion li. 1. chro. auctorū à Melanct. Peucero.

Iustinianus Imperator.

Euag. eccle. hist. li. 4. ca. 39.

admodum poſt reſurrectionē manducauit. Ac ſacroſanctum illius corpus aliquam mutationem aut alterationem inde ab eo, quo in vtero formatum eſt, neque in volūtarijs, neque in naturalibus paſſionibus, neque poſt reſurrectionem, aliquid accepiſſe aſſerit. Et Cuſpinianus ait *Iuſtinianum extremo ferme vitæ ſuæ tempore decipiendum ſe permiſiſſe hæreſi eorum qui de incorrupto ſentiunt, quod omnes (inquit) ſentire principes volebat. Chriſtum ſcilicet carnem incorruptibilem aſſumpſiſſe. Eutichium Patriarcham contradicentem relegauit.* Hactenus Cuſpinianus. Refert etiā Euagrius illum edictum muniendæ ſuæ hæreſi ſcripſiſſe, ac *opinionē (vt inquit) ſuæ paſſim conſentire ſacerdotes coegit.* Ac in ſpinas (*vt ait*) *& tribulos incidit, quibus quum Eccleſiam implere vellet, voti non eſt compos factus.* At has eius ſpinas quas in Eccleſia pro poteſtate ſerere ſtuduit euellere & exterpare *Anaſtaſius Antiochenus* epiſcopus *n diuinis maximè eruditus (ill.m Euagrius vt laudat)* ſcripto pro orthodoxa veritate hac in re comentario conatus eſt. Sic ille qui legum cancellis & repagulis alios coercebat, ſeipſum diuinæ legis & orthodoxæ fidei ſeptis continere non potuit. Quis vitæ eius exitus fuit, ex Euagrio repetamus; cum (inquit) exilium aduerſus *Anaſtaſium* & ſacerdotes illius decreuiſſet, inuiſibili vulnere perculſus, vitam hanc finiuit. Sic de illius morte Euagrius. Ac *Cuſpinianus* de morte illius ſic refert, ingraueſcente (inquit) morbo

Cuſpi. in vita Iuſtiniani.

Eua. eccle. hiſto. li. 4. ca. 39.

Euag. eccle. hiſt. li. 4 ca. 40.

Eua. eccle. hiſt. li. 4. ca. 41.

Io. Cuſpi. in vita Iuſtiniani.

non sanus mente decessit. Hoc etiam exemplo liquet, quanta principes sibi pericula accersunt & suæ ipsorum sanitati & saluti officiunt, si sanæ fidei & pietatis propositum, vel ipsi derelinquant, vel ab alijs sibi excuti & elidi patiantur.

Theodosius Imperator iunior.

Theodosius Imperator iunior cognomine, ob pietatis propositum & exercitationem eximiè à *Zozomeno* & *Socrate* celebratur. Illi tamen tam spectatæ probitatis & laudatæ pietatis Imperatori decursis anteactæ vitæ laudabiliter curriculis, Eutichianæ ad extremum illi hæresis, ceu quidam vncus impactus fuit. Archimandritæ Eutychis sanctimonia deceptus, quem religiosissimum Archimandritam appellauit, vxoris suasione inductus, in illam enim (*Cariene* referente) culpam contulit. Chrisaphius qui palatio præerat (narrante Euagrio) odio Flauiani Constantinopolitani Episcopi Dioscoro Alexandrino Episcopo administer & adiutor fuit, vt secūdæ Ephesinæ synodo à Theodosio indictæ præsideret. *In hac ille Eutichem, vt ex Euagrio recitem, canonicé ab Episcopo suo beatæ memoriæ Flauiano patre nostro & Episcopo depositum propria authoritate contra Canones ad communionem recepit, antequam ea de re cum Deo dilectis Episcopis consultaret.* Hæc ex Euagrio citauimus. Ephesina illa secunda synodus infamiæ notis inusta fuit, ob Eutichem fidelium communioni à Dioscoro restitutum, qui cum illo sensit, vt argutis verbis in capite antea memorato ab Euagrio ostensum est,

Zoz. eccl. hist. in præf. Soc. eccl. hist. lib. 7. ca. 42.

Euag. eccle. histo. lib. 2. ca. 4.

eſt, & propter vim allatam Flauiano, qui calcibus conculcatus poſt triduum expirauit (vt à *Carione* declaratum eſt) ἀνεφικὲς illa Synodus appellata à latrocinando fuit, quod latronum, non Epiſcoporum ritu graſſabantur in Flauianum orthodoxæ fidei Archiepiſcopũ Conſtantinopolitanũ. Hocipſi Theodoſio infamiam conflauit, quòd extremo vitæ ſuæ in actu (vt *Carion* memorat) in Eutichiana claudicare videretur. Sed ille cito hanc claudicationem correxit Et ſic eius eum pœnituit & puditum eſt, vt culpam in vxorem reiecerit. Illa ceu voto obſtricta Hieroſolymam peregrinata eſt. Ac, *Theodorus* lector vt ſcribit, amplius reuerſa non eſt. Nec diu poſt vixiſſe *Theodoſium Carion* ſcribit. Ac ſuis in collectaneis *Theodorus* lector de morte *Theodoſij* ſcribit, ad venationem egreſſum & in fluuium Albuni abreptum ſequẽti nocte mortuũ fuiſſe, & in monumento Arcadij patris ſepultũ fuiſſe. De morte eius *Theodori* hæc verba ſunt. Illius etiã exemplo omnes Principes ſe prœmonere & præmunire debent, ne vllos quam arctiſſima neceſſitudine ſibi obſtrictos obrepere ſibi patiantur, qui fidei orthodoxæ & pietatis propoſitum vllis vel ſermunculis, vel excogitatis quouis artificio fabricis ac machinis labefactare ac eneruare conentur. Huius enim ſi ſtabilitatem & perpetuitatem conſeruent, ipſi ſuæ ſaluti & incolumitati diuinas gratias & cuſtodias circũdabunt, & influentes ſibi diuini-

Carion. li. 3. chro.

Collectaneorum Theodori lectoris ex hiſto. eccle. li. 1.

tus consolationes & opitulationes in rebus gerendis & expediendis, in promptu quum pericula sunt, experientur. Sed de pij propositi constantia & perseuerantia à principibus & omnium ordinum hominibus extremum ad finem intendenda & prosequenda Hactenus.

Contenta.

Pij propositi perseuerantiam assidua diuini verbi lectione, meditatione, & sacrarum concionum auscultatione alendam & corroborandam esse.

CAPVT VI.

ASsidua diuini verbi lectio, meditatio, & sacrarum concionum frequens auscultatio Reges & Principes & omnium ordinum homines magna apud Deum in gratia ponit. Religiosam istam lectionem & intimam meditationem Deus per *Mosem*, *Iosue* summam ad gubernationem diuinitus cooptato, commendauit. Diuina hæc per *Mosem* denunciantio *Iosue* facta est. *Non recedet liber legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo die noctuque, vt custodias & agas iuxta omne illud, quod scriptum est in eo. Tunc enim prosperum reddes iter tuum, tum prudenter ages. An non præcepi tibi? Sis fortis & robustus ne formides, nec animo*

Ios. 1.

animo frangaris, quia ego dominus deus tuus adſum tibi in omnibus ad quæ tu proficiſceris. Diuina *Moſis* denunciatio hactenus. Quid in hac denunciatione primum eſt? Diuini libri cuſtodia & vſus eius aſſiduus. Quomodo hic vſus informatur? Iugi meditatione & accurata diuinæ legis commentatione. Quis vſus fructus ex ea redundat? vt prudenter & proſperè agas. Diuina poſt per *Moſem* acclamatio & ceu futuræ adminiſtrationi quædam præcentio eſt, vt præſenti & forti ſit in rebus gerendis animo, quòd deum ſibi præſentem, & oppignoratam ſibi per *Moſem* eius promiſſionem & præſentiam habeat. Hæc proinde diuina compellatio eſt, vt ſe ſtrenuũ & fortem præſtet, vt excelſi & inuicti animi magnitudinem & robur aſſumat. Ne (inquit) formides & frãgaris animo, quia ego dominus tuus adſum tibi in omnibus, ad quæ proficiſceris. Hæc eius è cœlo robora & firmamẽta fuerunt, quod in ipſo bellorum procinctu dominum præſentem habeat totius negocij conditorem, cõfectorem, & adminiſtrum. Proinde ſe ſtrenuè Dei in ſeruitio adhibeat, ac illi in omnibus, quæ gerenda ſunt, adminiculetur & incumbat. Hæc diuinæ denunciationis ſumma eſt. Qui ergo diuini verbi ex lectione commentatione & auſcultatione fructus in Reges & Principes redundant? Vt ea quæ intendunt & ſuſcipiunt prudenter & proſperè agant. Quid illis optabilius eſſe poteſt, quam vt prudenter Regnorum ſuorum negocia procurent & fæliciter

citer administrent. Tum enim valde illorũ erescit & augescit potentia, quum prudenter quæ consulta sunt, fæliciter terminantur. Ista proinde diligens scripturarum lectio, commẽtatio & crebra conciònum auscultatio Reges & Principes deo acceptos & commendatos facit. Illi enim humanarum rerum è turba & colluuione subducti, Deum se in scripturis alloquentem audiunt. Quando legis (vt inquit *Augustinus*) scripturas, Deus tibi loquitur, quando oras eum deo loqueris. Diuina hæc eius vox ex scripturis in animos influens, instinctus quosdam diuinos infundit, & languescẽtes in animo quosdã, igniculos uentilat & accendit. *Iosias* rex Iuda legis auscultatione ceu fulmine ictus & perculsus intima pœnitẽtia ductus, diruptis & laceratis vestibus, pœnitentiæ insigne documentum edidit in publico. Templum falso & adulterino cultu fædissime inquinatum purgauit, & populum a Deo alienatum suæ pietatis inductu & interuentu Deo reconciliauit. Quippe scripturarum lectione, cõmentatione & frequẽti auscultatione, ceu spiritus instrumentis & organis heroici quidam motus & instinctus principum animis instillantur, qui eos ad res præclaras in ecclesia & republica administrandas excitant & expergefaciunt. Alexander ille cognomento magnus, audito musices quodam modo (quem Pyrrichen vocat) ceu quadam ad bellicã præcentione concitus ad arma penè exilire solitum tradunt, Christiani vero Principes cælestis

Augustin. in psal. 85.

2. Para. 34.

leſtis & euangelicæ tubæ cantu & inflatu, ceu diuino quodam inſtinctu & afflatu ad res pié & præclaré gerendas concitantur. Qui heroici motus germaniſſimi ſunt? qui diuini. Et qui diuini? qui diuino quodam afflatu vel ſine medijs & externo organo, inſpirante & influente ſpiritu, vel his medijs, lectione meditatione & concionum auſcultatione piorum Principum in animis excitantur. Quippe vbi a ſpiritu his organis incaluerunt animi, heroici iſti motus in diuinis, vel humanis etiam rebus inſignité patrandis & efficiendis ſe patefaciunt. At vbi ab iſtis medijs vacatio & ceſſatio eſt, ibi obduratis & offirmatis animis ad huiuſmodi motus occalleſcunt. *Baruch* Ieremiæ Prophetæ ſcriba & librarius dictatas ab eo prophecias ſcriptis excepit, Et Gamariæ in exedra Principibus qui conuenerant prælegebat. Illi audita prophetiæ comminatione & denunciatione, ob ſcelera condoluerunt & ſuſpirauerunt. Ac poſtea *Iehoiakim* Regis accitu eadem a *Iehudi* lectitata fuit, auſcultante Rege & Principibus. Quid impio Regi tum animi fuit? Quomodo diuinam illam lectionem ſtomachatus fuit? Acceptum codicē poſtquā ſcalpello tres aut quatuor eius paginas conſcidiſſet & lancinaſſet, igni conflagrādum iniecit. Cohorruerunt Principum aliquot animi, et ne hoc facinus admitteret interdicebant. At illorum ad rogata & legis minas & interdicta ille obſurduit. Sed quæ diuina per *Ieremiam* denūciatio illi viciſſim renunciata fuit? *Ier.* 36 1

Sic

Sic ait Dominus, Non erit tibi superstes qui sedeat in solio Dauidis, & cadauer proiectum erit ad æstum diuinum & ad gelu nocturnum. Et visitabo tum ipsius, tum semnis & seruorum eius iniquitatem, & educam super eos, & super omnem Iudam, omnem calamitatem, quam loquutus sum super eos, quamuis non audierint. Diuinam cõtra impiũ Regem, stirpem eius, & seruos prædictionem ex propheta recitauit. Quam hoc horribile & detestabile in papatu est, quód *Biblia* vernacula populi ad intelligentiam & ædificationem comparata ignibus crematuerint & rogis publicis iniecerint? *Antiochus* ille persequutionum immanitate ceu antichristi quidam typus & emissarius descriptus a *Daniele* annotatur. Ille sacris a libris manus non abstinuit, sed ignibus vt crementur præcepit. Quid de illo postea Dominus? Miserabili interitu extinctus fuit. Quum enim insigniter obeso & adipati corpore (quod verbo *Bari Iosippus* expressit) in fuga hostibus obiectus fuisset diuina vindicta, exemplum ad omnem posteritatem in illo omnibus propositum fuit. *Diocletianus* Imperator propter persequutionum diritatem, ceu altera quædam Antichristi effigies censeri potest. Ille ecclesias ad pauimenta diruit (vt de illo *Eusebius* commemorat) & sacras scripturas comburi ignibus curauit. Ac ille postea abdicato imperio priuatus in hortis, ad *Salonem* consenuit. Diuinorum librorum cõtemptores quadam rabie sic efferantur, vt in illis etiam ferina quadam

Euseb. eccle. histo. li. 8. ca. 3.

quadam crudelitate graſſari non verecundentur. Quanta etiam in papatu immanitas ſacros in vernaculum ſermonē traductos libros buſtis publicis injcere? Nec ſacros ſolum libros, ſed Chriſtianorum etiam corpora, quæ canonicis in ſcripturis ad ſalutem tradita ſunt omnia, ingenuē & aſſeuerāter confitentium, publicis rogis & buſtis imponere? Sed ſcripturarum iugis lectio, commentatio & concionum è ſuggeſtis crebra & religioſa auſcultatio, ſpiritus ſancti vi interueniente, Chriſtianorum animos ad pietatem formāt, ad res diuinas acuit, ſalutaribus conſilijs lucem præfert, ferocientes affectus refrenat, vagas & volaticas cogitationes pietatis in gyrum cogit, & veré magnos & metuendos facit, qui deū metuentes, magnitudinis ſuæ fundamenta & firmamenta diuino in cultu & ſyncerā religionis exercitatione, & uſu collocarunt. Contra qui poſthabitis rectæ religionis & pietatis admonitis & officijs, diuinos ad inſtinctus obdurueruntt, & irreligioſa & prophana conſuetudine ſic callum contraxerunt, nullis vt ſcripturæ ſtimulis excitari, aut acuminibus compungi queant, hij ſurdæ aſpidis inſtar aurem obturantis, ad diuina obſurduerunt. At quorum pietate animi imbuti ſunt, & vera religione culti, pias illi hortationes & admonitiones non ſolum candidé conſulunt, ſed ceu ſpiritus quoſdam ſtimulos ſibi applicant, ad diuinas & laudabiles res alacrius aggrediēdas & cōficiendas. Sapientum ſermones ſunt velut ſtimuli *Pſal. 58.*

muli (vt *Salomon* ait) vox hebræa *Malmad*, qua
Eccle. 12. tamen *Salomõ* hic non vtitur, stimulũ significat, cuius ab edocendo notio & potestas est, quod stimulis excitati boues, telluris arationes quasi edoceantur. Sic sapientum admonitis & hortatibus ceu stimulis quodammodo subditis ad pietatem & virtutem homines eriguntur. Diuina apud *Salomonem* sapientia inclamat, homines diuinis vt monitionibus & præceptionibus
Prou. 1. audientes sint. Nec monitionum solum, sed etiam vt obiurgationum & castigationum perferentes sint. Quas a verbo castigandi *Musar*
Prou. 29. appellat. Ac idem *Salomon* vir contumax (inquit) ad increpationes subito conteretur, nec mederi quisquam poterit. Ac meliorem idem esse ait manifestam reprehensionem, quam a-
Prou. 27. morem absconditum. Ac tantum ille tribuit verbo & officijs, quæ amicioribus & candidis ab animis profecta sunt, vt meliora dicat esse vulnera inflicta a diligente, quam fraudulenta oscula odio prosequentis: vox *Neemanim* fidelia significat, quod quamuis vulnus faciant, fidelitati tamen coniuncta sint. At quum suauiantur illos, quos odio habent, insidiosa illa oscula sunt. Et vel coactu quodam extorta, vel simulanter libata. At piarum monitionũ & hortationum fructuosa ex auditione & perceptione Principes & omnium ordinum homines magnum lucrum faciunt. His enim culti & imbuti animi alacriores & expeditiores ad diuinas & humanes res præclare obeundas efficiuntur, &

ne

ne voluptatum, aut viciorum læthargo indormiant, excitantur. Ac ſcripturarũ ex lectione, meditatione & ſacrarum concionũ ex audientia vberrima illarum fructus & prouentus in Principes, & omnes redundat. Illis enim, et politioris literaturæ ſtudijs exculti Principum potiſſimum animi, magis in rebus adminiſtrandis vigent, et eccleſiæ, et reipublicæ fructus vberiores efferunt, vt culti, et ſubacti ſoli feraciores fructus ſunt. Conſtantinus ille magnus cognomento cætera bellicoſus, et negocioſus lectioni, et ſtudijs dimenſum aliquod tempus tribuere aſſolebat *Euſebius* his verbis vt atteſtatur. *Nocturnis* (inquit) temporibus vigilabat, ac ſcribendis orationibus vacabat. Hoc ſibi competere ratus, vt docto ſermone ſubditis imperaret. Et *Euſebij* hæc de eo teſtificatio eſt, nocturnis etiam lucubrationibus illum indulſiſſe, vt literato, et docto ſermone ſubditis ſuis præiret. Ac admirationem ciebat multitudini culta, et compta eius oratio. *Conuocabat enim (ex Euſebio vt referã) ſubditos, & conſiolabant immmeræ ad audiendum multitudines philoſophantem audientes Imperatorem. Et ſicentigiſſet inter dicendum aliqua Theologiæ opportunitas, omnino rectus conſiſtens, vultu contracto, & voce preſſa, omni cum pietate preſentes ad diuinam doctrinam initiari videbatur.* Hæc *Euſebius* de eo commemorat. Non ſolum literarum ſtudijs imbutam, et tinctam illius orationem fuiſſe, ſed quum theologiæ, ex ſacrarijs

Euſe. de vita Conſtan. magn. li. 1.

crarijs illam libasset, tum voce, et vultu compositis, ceu diuinum quiddam spirabat, vt rerum diuinarum quædam vestigia, & impressiones illorum in animis relinqueret. Hunc ille ex lectione, commentatione, & sacrarum, & aliarum rerum studijs facultatem, & fructū comparauit: vt qui bellicæ virtute orbi formidabilis erat, idem doctæ, & limatæ orationis suauitate, subditorum suorum in animos influebat. Ac de *Theodosij* iunioris cognomine, lectionis, & comentationis etiam nocturno studio *Zozomenus* sic narrat *Aiunt (inquit) te per diem exercere armis, & corpore, subiectorumq; negotia disceptare, iudicare simul, & agere modo seorsim, modo communiter, quæ sint agenda considerare noctibus libris incumbere. Fertur autē tibi ad eorum scientiam manifestrare candelabrum, ante mechanica factum sponte fundens oleum in lucernam, vt nullus circa regalia constitutus, in laboribus tuis cogatur affligi, & naturæ vim faciat sommo repugnans.* Hactenus *Zozomenus*. Porro iudicij acumine in aliorum libris censendis, & dijudicandis illum excelluisse, idem *Zozomenus* testatur, & pietatis ob laudem insignite illum excoluit. *Salomonem* quum affecta iam ætate animaduertit vitæ pœnituisse, librum pœnitentiæ suæ indicē & testem illum exarasse memorans cui *Kohelet* nomen est: quem ecclesiastē interpretantur, quod ceu concionatoris officio fungens tales in eos ecclesiæ conciones proponeret. Quidam aggreuatiuæ nominatione vocis

eius

Zozom. in præfa. eccle. hist. theo. August.

Trim. & Iuni. in filo. in eccle.

eius notionem explicant, ob congestam diuinæ sapientiæ multiplicem eo in libro congregationem. Et pater eius *Dauid* ceu concionatoris frequenti in concione munere defungens, Annunciaui (inquit) iustitiã tuam in cõgregatione magna. Verbo *Kahal* pro concione & cõgregatione vtitur, cuius cognatione librũ, vel authorẽ *Koelet* appellatum fuisse existimant, Ac (istam etiam tractationem vt finiamus) *Dauidica* illa precatio Principibus apprimé necessaria est, fac me oblectari in verbo tuo. Diuinæ enim gratiæ effectus est, & oblectationis inuitamento diuini sensus suauius in animum influunt, & fructus vberiores proferunt. Deus Maiestatis vestræ zelum in rebus diuinis & Regijs in ornamentis studiũ excitet, & ecclesiæ, & reipublicæ fructuosum efficiat.

Mun. in scha. in eccla.

Psal. 40.

Contenta.

De piè orandi & supplicandi Deo vi, efficientia, & assiduitate.

CAPVT VII.

HAc vius tractationis principium ab illa seruatoris nostri præceptione & denunciatione appositè capiendum est, vigilate & orate ne intretis in tẽtationem. Ac illud eius etiam animis nostris semper obuersari oportet, semper oportet orare

Marke 14.

Matth. 26.

nec deficere, ἐκκακεῖν segnescere interpretatur Beza. Orandi alacritas & assiduitas fracti animi abiectione, aut soluti remissione & relaxatione deponenda non est. Eius enim relaxatione aut relictione periculum est ne grauissimarum tentationum in laqueos induamur. Proinde *Paulus* inclamat indesinenter orate. Ac Ephesios hortatur, orationi vt inuigilent. Omni (inquit) prece & supplicatione precantes omni tempore & illi ipsi rei excubantes cum omni perseuerantia. Illam προσκαρτέρησιν quam appellat, instantiam *Erasmus* vertit & Ambrosiū perseuerantiam legere annotauit. Ac verbi vis & notio non solum vt intente sed perseueranter etiā vt oremus requirit: & eius derelictionem, & ab illa vacationem & cessationem excludit. Atque hoc apprimè omnibus tum Regibus & Principibus præcipuè & insignitè perneceſſarium est. Illis luculentissimum *Dauidis* prophetici Regis exemplum scripturarum in luce ad imitandum propositum est, vt suorum principatuum & administrationum prosperum & secundum cursum à domino consequantur. Ne quæ videlicet labes aut hyatus illorum in imperio incidat: ne aliquam in voraginem illorum fortunæ excedant. Sunt enim in imperijs crebræ prolaptiones & præcipites sæpe casus, qui diuina prouidentia dispensantur & ordinantur. Illi inauspicatorum euentuum ceu quidam anfractus & abruptiones sunt, Vno enim & æquabili tenore publicæ administrationes non sem-

per

1. Thess. 5. Ephe. 6.

Eras. in anno. in 6. ca. ad Ephe.

perfluunt, sed erumpentium confertim negociorum vndis & tempestatum & turbarum ceu æstuosis quibusdam fretis iactantur: & nisi diuinitus sustententur ruinis opprimuntur. Proinde nisi prompti & flexibiles ad preces Deo fundendas principum animi fuerint, crebro pro humanarum rerum mobilitate, in scopulos incurrunt, & periculosis, & scopulosis huiusmodi ex cotibus ægrè enauigant. Igitur ne aliquem turbatis rebus in hyatum ruant, precandi diuinis & assiduis adminiculis ac propugnaculis peropus habent. Quantopere *Dauidem* Propheticum Regem Absolonicæ rebellionis fragor perculit? Fugatus à filio, regno eiectus, & naufragus fuit. Labentem illum, & ruentem diuina indulgentia suffulcit. Ille obuoluto capite nudis pedibus flebiliter plangens & fugiens, olearum cliuum ascendens regno dirutus ceu auicula nido excussa, supplici oratione diuinæ misericordiæ in sinum inuolauit. Et hoc Zadok sacerdotem sermone affatus est, Si *nactus fuero fauorem coram Domino, me restituet, ostendetque mihi & se, & habitaculum suum. Quod si dixerit mihi nihil te delector, presto sum, faciat mecum quòd sibi bonum visum fuerit.* Dauidis hactenus ad Zadok verba adduximus. Et Semei proiectæ vir audaciæ, & inueteratæ malitiæ, lapides, & puluerem in os Regis, & seruorum iaciens, acerbissimum Regi conuicium fecit, virum 2. Sa. 15.

Belial & ſanguinum appellans. Et quum *Abiſai* contumelioſè in Regem baccanti vim facere paratus erat, hoc illum ſermone *Dauid*
2. Sa. 16. & cæteros ſeruos ſuos cohibuit: permittite ei vt maledicat, quoniam Dominus præcepit ei: fortaſſis dominus reſpiciet afflictionem meam, & repēdet mihi bonum Dominus pro maledictione, hac illius hoc eodem die. His verbis ſeruorum ſuorum gliſcentem in Semei rabulam vltionem repreſſit. Sic ille tantæ rebellionis anfractum & hyatum ſupplicando & diuinam opitulationem expetendo & expectando expleuit. Et ruente licet Regno fide immobilis ad dominum, tanquam ad *Petram*, adhæreſcebat: cui hac fidentia alibi ſupplicat & gratias agit.
Pſal 8. 1. *Dominus Petra mea, propugnaculum meum & liberator meus, deus meus & rupes mea, illo nitar, clypius meus, & cornu ſalutis meæ, arx mea.* Sic ille diuinas liberationes recognouit: & eius, præſentiſſimis in periculis, quicquid ſe ingerebat, opitulationi ſuppliciter & fidenter innitebatur. Ac alibi penè vacillans in ruina, *Im-*
Pſal. 118. *pulſus (inquit) euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Ac alibi, ceu quadam elutione torrentis inſtar inundante, vt ſe abſor-
Pſal. 69. beat, ne (*inquit*) *ne adobruant vndæ aquarum, neque deglutiat vorago, neque ſuper me puteus os ſuum claudat.* His verbis periculorum ceu quaſdam voragines expreſſit, quæ ad perdendum & obſorbendum hyant, niſi diuina ex illis commiſe-

miseratione extrahatur. Proinde precum, ceu pietatis quadam in palęstra, assidue se exercet, & illarum acceptissima Deo importunitate iugi supplicatione diuinam misericordiam interpellat. Psalmi enim huius ipse statim in principio, laboraui (inquit) vociferando, aridu factum est guttur meum, suspiciendo ad deum meum. Hac supplicandi Deo intentione & assiduitate erumpentium in se ærumnarum torrentis instar rapiditatem repellit, & ceu puteo magnam in altitudinem depresso os obstruit. Hoc diuini propugnaculi loco illi est, quo hostes profligat, & cœlestis repaguli vice, quo hostium impetus & impressiones cohibeat. *Contra iram (inquit) hostium meorum mittes manum tuam, & seruabit me dextra tua.* Psal. 138. Ac alibi Deum contra hostes inclamat, *eripe me ab inimicis meis quia in te latebras quæro.* Psal. 143. Deum supplicantis ceu receptatorem deprecatur, vt hostium de faucibus se eripiat. Verbo tegendi *Christi* se illi, vt sartum tectum ab hostibus conseruet, commendat, & diuinæ misericordiæ teneritatem obtestatur. *Custodi me (inquit) vt pupillam oculi sub vmbra alarum tuarum protege me.* Psal. 17. Et versu statim præcedente, *mirifica (inquit) misericordias tuas qui seruator es sperantium in te, ab his qui surgunt contra dexteram tuam.* Vel vt separatim & insignitè suam erga ipsum benignitatem declaret, orat, vt verbū *Haphlea* separādi sensu Trimmelius

& Iunius interpretati sunt. Nam & admirabilem facere & seperare significat, cognato & affini sensu: quod, quæ admirabilitatis notam habent, insigniter ab alijs seperata & segregata sunt. Et quanta ille fidentia diuinam ad misericordi m assurgit? Fidei & precum supplicatione fretus, diuinam erga se benignitatem
Psal.69. elicit & quasi euocat. *Exaudi me (inquit) Domine quoniam benigna est misericordia tua: respice ad me iuxta multitudinem miserationum tuarum: & ne facies tuam a seruo tuo abscondas nam affligor: propera, & exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam, propter inimicos meos eripe eam.* Hactenus *Dauid* verborum & affectuum ceu quodam incendio flagrans diuinam misericordiam sollicitauit. His assidue fidei officijs Dei se insinuat in gratiam, quæ illi pro insita diuinæ naturæ propensione & commiseratione acceptissima esse cognouit. Hæc apud illum pietatis officia insigni er valere & vigere quotidiano vsu & experimentis
Psal.138. comperit. *Quo die clamani (inquit) exaudisti me, multiplicasti in anima virtutem.* Præsentissimam diuinæ commiserationis & opitulationis consolationem precum vi intimos in sensus influentem sensit. Ac alibi hac consolatione
Psal.56. perfusus, & precum efficacitate fretus, *conuertentur (inquit) inimici mei retrorsum qua die clamabo, hoc scio.* Hac ille iugi supplicandi Deo exercitatione suas administrationes, statum,

tum, & salutem perpetuò Deo commendauit, ac illius in custodia & tutela deposuit. Hac illabentium affectionum ex naturæ communis fragilitate fuliginem & caliginem absterſit, & mundi huius ex commercijs & corruptelis contractas sordes & eluuiem expurgauit: & purgato ab hac animo ὅσιας χεῖρας quas à Christianis *Paulus* deposcit, puras scilicet manus ad Deum leuauit. 1. Tim. 2.

Hac ceu admota cælesti quadam machina omnes hostium & perduellium quantumuis insidiosas & pernicioſas fabricas euertit. Nullum illi, ad supplicandum Deo, & eius conciliandam gratiam & demitigandam indignationem, intempestiuum tempus fuit: non nox intempesta & concubia de precibus illius conticescebat. *Media (inquit) nocte surgam ad confitendum tibi super iudicijs tuis iustis.* Psal. 119. Ac eodem in Psalmo. *Recordatus (inquit) sum noctu nominis tui Domine.* Ac idem alibi, *cum recordor tui super stratũ meum in vigilijs meditor de te, eò quod fueris auxilium meum: ideo sub vmbra alarum tuarum exultans cantabo.* Psal. 63. Hactenus propheta. Noctis in silentio non illius supplicationes obmutescebant: lecti in quiete non ille vacabat à precibus, etiam in vigilijs eius ad Deũ euigilabãt orationes. Illarũ enim assiduus fructus in illũ redundabat. *Quia fuisti (inquit) adiutor meus, & in velamento alarum tuarum exultabo. Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Hactenus prophe-

tæ verba recitaui. *Quis dedit cord. intelligentiam?*

Iob. 38. Vt *Iobi* illam ſententiam plerique enunciant. Aut Hebræorum doctorum ex ſententia (vt ex R. *Dauide* Santes notauit) quis dedit gallo intelligentiam verbum enim *Sechui* non ſolum cor, ſed gallū etiā exponi hic Leo Iudæ & Munſterus anotarunt. Quod gallus ceu naturali quodam diuinitus inſtinctu alarum plauſu noctu expergefaciat homines ad laudandum creatorem, vt Santes ex R. *Moſeh* explicauit. Sic nocturnum eius cantum & plauſum excitandis ex ſomno mortalibus ad ſacras precum & laudum vigilias diuinitus inſtitutum exponunt. Ac Regius ille Propheta de ſacris

Pſal. 130. ſuis vigilijs, *Anima (inquit) mea ad dominum ante cuſtodias matutinas, ante cuſtodias (inquit) matutinas*: Precibus etiam nocturnis ad Deum ſacroſancta illius anima anhelabat. Ac de ſuis

Pſal. 141. ad veſperam ſupplicationibus, *eleuatio (inquit) manuum mearum ſacrificium veſpertinum ſit.* Et de matutina precum ſuarū ordinatione,

Pſal. 5. *Mane (inquit) ordinabo ad te orationem & aſpiciam.* Verbo ordinandi diligentiā & aſpiciendi ceu ſpeculandi argutiam verbo *Aſſappe* ſignificatā, & ſpem velut é ſpecula ſuſpenſa, & expectationis plenam expreſſit. Ac de ſuis trinis

Pſal. 55. interdiu ſupplicationum temporibus, *Veſperi (inquit) & mane & meridie precabor & importunus ero & ipſe audiet orationē meam.* Quas diſpoſitis his tēporibus orationes fecit meditando perſtre-

perstrependo & ad dominum quiritando eas perfecit, vt ex verbis *Asicha ue Eheme* explicatur. Intimi affectus commotionem & flagrantiam his verbis designauit. Sic ille Propheticus Rex orationum præsidijs ceu Regni administris & satellitibus circumuallatus erat. Quicquid in Regno viquam concrepuisset, ille se confestim ad preces conuertit. Ac contra omnes incursantium malorum fremitus & fragores supplicationum suorum clypeos opposuit. Nihil tamen ille prætermisit, quod vel militaris peritiæ, vel Regij ad bella gerenda apparatus fuit. Ordinarijs medijs & instrumentis a Deo indultis ipse non defuit. Rerum gerendarum oportunitates, habilitates, & instrumenta diligenter conquisiuit. Sed precum suarum instructas copias semper in procinctu habebat aduersus quasqunq; perduellium molitiones & hostium machinationes. Istis *Achitophels* consilia infatuauit. *Absolonem* tumultuosissime Regnum suũ inuadentem superauit, rebellantem Seba extirpauit, atrocissimos hostes domuit & sub iugum misit. Ceu proiecto super Ædom minaciter contra ipsum frementem calciamento probrose illum dedecorauit & ignominia notauit. *Moab* ceu ollam ad eiuendam eluuionem despicabilem seruiliter adhibuit, hostes luti instar conculcauit, & clarissimos de illis triumphos reportauit. Precibus nocturnis bella confecit. Vt Christostomus scripsit: & *Mosem* & *Aaronẽ* debellasse *Amalek sancta manuum* extensione

2. *Sa.* 17.
2. *Sa.* 15.
2. *Sa.* 16.
Psal. 60.
Psal. 18.
Chri. in Gen. hom. 30.
Exod. 17.

Gregorius

Gregorius Nazianzenus ex scriptura laudat. Quũ *Iehosua, Mosis* ex præscripto instructis copijs contra *Amalechitas* in procinctum discendisset, *Moses* collis in vertice adiunctis *Aharone* et *Hur* ceu in statione collocatus erat. Et dum *Moses* manus suas orando extulit potiores ferebant Israelitæ. At laxatis & dilabentibus ipsius manibus inferiores erant. Quum ergo grauari & flaccescere illius manus cæpissent, *Aaron* et *Hur* tulerunt lapidem & suppositum illi, & insedit ei, *Aarõ* vero et *Hur* fulcierũt manus eius, *et (scriptura his verbis recitante) firmus fuit manibus suis vsq; ad solis occasum. Debilitauit itaq; Iehosua Amalek gladio.* Quod huius victoriæ monumentum *Moses* statuit? *Aram* cui nomen fecit *Iehoua Nissi* vexillum meum *Iehoua*. Illius enim nutu & auspicijs ceu signo dato & vexillo erecto *Amalek* extirpabitur. Hoc piarum supplicationum signo ceu quodam vexillo erecto et explicato pij Reges & Principes hostium suorum vim & potentiam diuinitus secretó infringent, & labefactabunt. Hanc in *Rephidim* pugnam commissam fuisse scriptura commemorat, cuius vocis nomenclaturam a dissolutis et laxatis manibus emersisse a quibusdam hebræorum explicatam fuisse *Munsterus* annotauit. Hoc orationum vexillo ceu é cœlo expeditis, & explicatis insignibus, piorum principum instructæ copiæ, conquisiti exercitus, & delectæ cohortes animantur, & successuum ad fælicitatem

Exod. 17.

Mun. in scho. in 17. ca. Exo.

licitatem erigũtur & accenduntur. Quum *Ammonitæ* & *Moabitæ* cum incolis montis *Seir* confertissimis copijs contra *Iehosaphat* pium Regem Iuda irrupissent, vastitatem Regno & regioni eius illaturi, ille se statim ad supplicationes & ieiunia conuertit. Tutissimum hoc turbatis rebus perfugium esse iudicauit, & luculento experimento comperit. Ille confluentibus & vndecunq; contractis ad supplicandum Deo contra hostes turbis, confertissimæ multitudini pijs precibus in concione præiuit. Ibi tum *Iachaziel* leuita spiritu afflatus cõsolabili felicis successus nunciatione concionẽ vniuersam exhilerauit. Crastina expeditione antequam ad conflictum venissent, hostes mutuo contossis et contrucidatis corporibus cadauerum suorum manubias & spolia Israelitis relinquebant. Quantum ad res fæliciter gerendas momenti esset si Reges & Principes qui summo cum imperio sunt piarum supplicationum diuinis exemplis & adminiculis, nobilium & popularium suorum animos exuscitent; vt profundendis ad Deum communiter & coniunctim precibus communium negociorum fælicem dispensationem & administrationem procurẽt? *Senacharib* Assyriorũ rex immani cũ exercitu atroces minas per *Rabsacem* emissariũ suum contra *Ezechiam* pium Regem Iuda & Hyerosolymã percrepabat. Ille diuini subsidij consolatione & fidẽtia subditorũ suorũ animos

solatus

solatus est. Ac (vt scripturæ verba recitem,) *Congregauit eos ad se in platea portæ ciuitatis, & locutus est in cor eorum huiusmodi verbis: fortes estote, & agite strenuè, ne timueritis, neque animo frangamini metu Assyrij Regis, aut metu totius*
2. Para. 32. *multitudinis, quæ cum eo est. Apud nos enim plures sunt, quam cum illo. Cum illo est brachium carneum, nobiscum autem Dominus Deus noster, vt auxilietur nobis, & pugnet pugnas nostras. Populus ergo nixus est verbis Ezechiæ Regis Iuda.* Hactenus scriptura. Antea scriptura retulit, quomodo belli ad instructum & apparatum quæ curatu necessaria erant, vt in promptu & expedito essent, satagebat. Ac totius rerum summæ & suæ & subditorum suorum salutis aliud perfugium quæsiuit, & diuini auxilij ad scopum collineauit. Talibus Regibus summè beata Regna sunt. Illi conquisitis, quæ Deus in mundo suppeditat, adiumentis & instrumentis, altius diuinam ad opitulationem suos & suorum animos erigunt. Quis *Senacharibi* per Rabsekem minarum & blasphemiarum successus & exitus fuit? Prodiens Angelus Iehouæ
Esay 37. (vt ex *Esaia* referam) percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia (hominum) quumq; surrexisset mane, ecce omnia illa erãt cadauera. Hactenus *Esaias*. Fugam postea *Senacharibi* commemorat. Et quomodo in templo Dei sui *Nisrochi* a germanis post l ijsfilius *Adramelech* & *Sharetsar* iugulatus fuit. Hæc *Dauidis* & *Ezechiæ* exempla Regum

&

& Principum exuſcitare & accendere animos debent, vt aſſidue & præcipué in magnis & periculoſis adminiſtrationibus, pijs & ſupplicibus precibus diuinam opitulationem et auxilium implorent, vt ipſi etiam diuini auxilij conſolabiles fructus percipiant. An non eadem diuinæ naturæ ad opitulandum procliuitas eſt, ſi illam pijs precibus pro re nata ſtudioſé inuocando euocare ſtudeant? *Ego (vt per Malachiam naturæ ſuæ immutabilitatem Deus aſſeruit) Dominus, et non mutor.* Mala. 1. *Apud quem (vt Iacobus ait) non eſt tranſmutatio aut conuerſionis obumbratio:* Iaco. 1. Sic nos *Eſaias* diuinæ naturæ perenni et immutabili perpetuitate et conſtantia ſolatur. Eſa. 59. Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neq; aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat. Et ſic Propheta *Dauid* infirmitatis humanæ fremitus retundit, *Oblitus ne eſt miſereri Dominus? continebit ne in ira miſericordias ſuas?* Pſal. 77. ſtatim ſuæ infirmitatis conſcius illum animi languorem et ægritudinem diuinorum operum recordatione et commemoratione repellit. Infirmitas (inquit) mea hæc dextera excelſi vices mutat: Recordabor opera Domini. Hactenus *Dauid.* Sic ille infidelitatis humanæ admurmurationes et querimonias diuinæ opitulationis editis, et in omnem poſteritatem propagatis exemplis refellit. Quin ergo arduis in negotijs Principes, qui ad fælices rerum gerendarum ſucceſſus anhelant, precum ad fidentiam prompto et alacri animo excitantur, vt in rem

præſentem

præſentem diuinam erga ſe miſericordiam exuſcitent. Fecit hoc Aſa Rex Iudæ, quum inſtructo cum exercitu contra *Zerach* Æthiopum Regem periculoſiſſimo bello conflicturus erat. Obiecta oculis ſuis innumerabili Æthiopum multitudine, quæ tam longé ipſius copias exuberabat, primo intuitu pertimefactus & perculſus fuit. At ſtatim ad ſupplicandum Deo animum recolligit, ſuam de illius preſentiſſimo in diſcrimine auxilio confidentiam expoſuit. Fer (inquit) opem nobis ò Do-
2. Para. 14. mine Deus noſter, quoniam te nitimur, & in tuo nomine aggredimur multitudinem iſtam. Tu es Dominus Deus noſter, ne præualeat tecum mortalis. Hac ille ſupplicatione præſenti animo præſentiſſimo in periculo belli in procinctu diuinam miſericordiam in ſubſidium aduocauit. Quem ſupplicationi eius ſucceſſum Dominus ſuppeditauit? *Fudit itaque (vt ſcriptura refert) Dominus Æthiopes coram Aſa & coram Iuda fugeruntq; Æthiopes, quos inſequutus eſt Aſa & populus quicum eo erat vſq; in Gerar, corruerunt que Æthiopes, vt nullus ex eis viuus ſupereſſet, quoniam confracti ſunt coram domino & coram exercitu eius, tuleruntque prædam valde ingentem.* Hactenus ſcriptura: hic ſupplicationum eius ſucceſſus fuit, quia innitebatur domino. Proindé plaga diuinitus Æthiopibus impoſita in præceps acti ſũt, & internecina clade ceciderũt. verbum *Nagaph* quo hic ſcriptura vtitur, non diuinam ſolum plagã & percuſſionem, ſed impulſionem

pulsionem & præcipitationem significat, quam grauissima illorum strages insequuta fuit. Quãuis nostri sensus hebetes sunt, & terrena & cõcreta materia depressi, vt argutis oculis diuina opera introspicere nequeamns, teneræ tamen & indulgentes piorum supplicationibus diuinæ aures sunt, si pijs precibus fidenter & feruenter pulsentur. Quum *Abia* Rex Iuda contra *Ieroboam* Regem Israel confertissimis copijs circũfusus staret, instructa acie conflicturus, spei & fiditiæ plenus a Domino proclamauit. *Ecce nobiscum Deus caput, & sacerdotes, & tubæ, & classicum, vt insonet contra vos. O filij Israel ne pugnetis contra Dominum Deum patrum vestrorum, nã id non prospere vobis cedet.* Hactenus *Abia* ante congressum proclamatoris a Domino partes obiuit. *Ieroboam* se statim copiarum suarum circumductu ad insidias a tergo *Abiæ* faciendas conuertit. Et quum antrorsum & retrorsum expeditas contra se copias *Iehudei* cernerent, *clamabant (vt scriptura refert) ad Dominum: & sacerdotes clangebant tubis, & classicum cecinerunt Iehudei, quumq; sic classicum canerent Iehudei, contigit vt Deus funderet Ieroboam & omnem Israelem coram Abia & Iuda, fugerunt q; filij Israel coram Iuda, & tradidit eos Dominus in manum eorum & cædebant eos Abia & populus eius cæde magna, & ceciderunt vulnerati ex Israele virorum electorum quingenta millia. Afflicti igitur sunt filij Israel illo tempore, inualuerunt q; filij Iuda, eo quod innixi essent super dominũ deum patrũ suorũ.* 2. Para. 13.

Hactenus

Hactenus scriptura. Quod primū in hoc exēplo aduertendum est? *Abiæ* diuino in auxilio fiducia. Populus Deo patrum suorum quum maximo in discrimimine versarentur inixus. Quid deinde attendendū est? *Abiæ* vox et vociferatio fideli et fidenti ex pectore emissa diuinis auribus insonuit. Dei statim in promptu et in præsentia auxilium fuit. *Iehoua* impulit et præcipites eos in fugam egit. Et hac diuinitus plaga, accepta sic *Ieroboam* et Israelitarum fracta et quassata in posterum potentia fuit, vt *Abia* regnante robur contra illum recolligere, et se illi opponere non potuerit. Ac scriptura exitum eius vt commemorat, *percussitq; eum Dominus & mortuus est*. Principes qui potestate a Deo concessa abutuntur, et diuinis ab auxilijs nudi sunt, in præcipiti et proximo sunt, vt ruant. Deus illos conflictum ad tempus præcipitabit, et mortiferam illis plagam infliget. Vt internecina *Ieroboam* iste a Deo accepta plaga perijt. Si vllam vim diuinam rerum humanarum præceptricem et procuratricem esse putamus, illa se piorum principum in administrationes et supplicationes insigniter et efficienter effundit, et impiorum principum in eneruanda et frangenda potentia se manifestam facit. Quocirca Regum et Principum pietate & supplicandi Deo exercitatione nihil Regnis et rebus publicis, secundo vt in rebus actitandis successu vtantur, aptius & discriptius esse potest. Ac laborante et labente eorum pietate, et supplican-

di

di Deo fonte arescente, vel confertim coruuunt, vel sensim colliquescunt. Sed hæc quæ sacris commentarijs consignata sunt, ne temporum illorum propria solum esse dixeris, quasi in nostris tanto interuallo subsequutis seculis vis & potestas illorum obsoleuit. Hæc enim omnium temporum Regibus & Principibus ad imitandū diuinitus exemplaria proposita sunt.

Theodosius Imperator senior cognominatus, nominis scilicet hac notione à Iuniori diremptus aduersus imperij perduelles, & Valentiniani Imperatoris cognomine iunioris hostes ex oriente conquisitum exercitum in occidentem duxit. Ille de rerum summa cōtra hostes dimicaturus, pijs precibus in terram prouolutus, suppliciter diuinum auxilium implorauit. Ac admirabilem supplicationum suarum successum consequutus est. Nam ingētis cuiusdam & immanis venti in conflictu coorti reflatu retorta in hostes ipsorum missilia erant, & maxima illorum postea cædes facta. Victoria *Theodosio* à Deo, cui tam suppliciter & feruenter supplicauerat, indulta fuit. Proditum à *Rufino* hoc est, cum diu in articiti prælio fuisset, barbaros qui *Theodosij* auxiliarijs è militibus erant, terga vertisse. Ac ille suorum quum vidisset conuersas acies, *stans (Rufinus vt narrat) vltra in rupe, vnde & conspicere & conspici ab vtroq; potuit exercitu procliue armis ad fugam se vertit, ancilla, & prostratus ad Deum: Tu (inquit) omnipotens Deus nostri quia in nomine Christi filij tui victimis iuste (vt puto) prælia iste*

Theodosius senior.

So. eccle. histo. li. 5. ca. 25.

Ruffi. eccle. histo. li. 2. ca. 33.

susceperi si secus in me vindica. Si vero cum causa probabili & in te confisus huc veni, porrige dexteram tuis, ne forte dicant gentes vbi est Deus eorum. Hac *Theodosij* supplicatione duces & insignité *Bacurius Theodosij* comes animantur. Ruunt confertim & fidenter in hostes. Tum venti illius vehementis repentinum exortum *Ruffinus* memorat. Et hoc idem quum *Socrates* narrasset.

So. eccle. hist. li. 5. ca. 24. *Tantum (inquit) valuit Imperatoris oratio.* Et postea *Eugenius* rebellis & perduellis ceruicibus truncatur. *Arbogastes* tyrannus *Eugenij* commilito & perduellionis socius, quum post pugnam fuga esset elapsus se ipsum interemit, vt *Zozomenus* scripsit. Quietiam turbulentissimi vēti *Theodosij* in hostes diuinitus missione, tela retro vicissim in illos repulsa fuisse & scuta manibus excussa, cum puluere & colluuie in illos iniecta, & deuoluta fuisse, tradidit. Pij Reges & principes Deo pie supplicando difficillima tempora transmittunt. At impij diuinis orationum præsidijs destituti, vt quiquilliæ a vento agitantur & dispelluntur: & vt stipula coram: turbine hostium populi, Dei vt dissipationem & dispersionem Prophetæ *Esaias* figurauit. Sufflantem stipulas, turbinem propheticum verbum *Suphis* significat, cuius vocis a consumendo obiecta, vis & nomen est. Pijs regibus & Principibus magnum in precibus ad Deum suppliciter faciendis in periculosis negocijs præsidium repositum est, *Theodosij* istius pij Imperatoris preces *Theodoritj* historia celebrantur. Illis suam contra accidentis

Her. Zozo. eccle. histo. li. 7. ca. 24.

Psal. 1.

Esa. 17.

dentis tyrannos expeditionē præmuniuit. *Constantinus* Imperator cognometo magnus piarū supplicationū preſidijs, non ſolum armis contra hoſtes præliatus eſt. Ille ſuarū victoriarum tropæis longé lateq; prouincias in longinquū diſſitas notauit, & fidē Chriſtianā vniuerſum per imperiū propagauit. Certis experimentis edoctus fuit, orandi pio vſu & frequentatione ſe ad tantas victorias & potentiā viam ſibi munitaſſe. Suorū etiā militum phalanges cōſimilē ad precādi pietatē & exercitationē cōdocefacere ſtuduit. Quod ſic cōmemorat *Euſebius. Inſtituit (inquit) vt omnium Deum victoriarū largitorē agnoſceret, & ſtatis & legitimis temporibus manibus in cœlum ſublatis, & oculis mētis ad cœleſtem Regem intentis, victoriæ datorem & opitulatorem inuocarent.* Hoc etiam additum ab *Euſebio* eſt. Et formam precationis huiuſmodi milites omnes docuit; *Te ſolum Deum & Regem nouimus, te adiutorem inuocamus: et illa deinceps, quæ a Conſtantino militibus præſcripta & contradita & ab Euſebio commemorata ſunt.* Hoc penitus ſibi perſuaſum fuit, diuina ſe gratia & fauore fortunante, tam numeroſas & periculoſas victorias conſequutum fuiſſe: & tam immenſæ & exaggeratæ potentiæ ad magnitudinem aſcendiſſe. Ac ſibi hoc maximē gloriæ ducebat eſſe, vt orantis ſpecie & geſtu effigies eius figuretur. Ac (vt refert *Euſebius*) in ipſis baſilicis propter columnas quaſdam ſtans erectus, & in cœlum ſuſpiciens, manus inſtar precantis extendens depictus

The. eccle. hiſto. li. 5. ca. 4. Conſtantinus magnus.

Euſe. de vita Conſtan. li. 4.

pictus eſt. Tanta ille auiditate & flagrantia ad orandum Deum efferebatur. Hoc etiam de eo commemorat *Euſebius*, in numiſmatibus imaginem eius, manibus ad Deum expanſis orandi in morem, expreſſam fuiſſe. Huiuſmodi aſpectabilibus formis & orandi exemplaribus, ceu quibuſdam inuitamentis ad pié ſupplicandum Deo, ſuorum animos exuſcitauit. Quid Regibus & principibus iſtis pie ſupplicandi Deo officijs vel ad fortunatam gubernationem aptius, vel fælices magnarum rerum ad ſucceſſus efficatius eſſe poteſt? *Conſtantinum* ſibi exemplo proponant. Qui vt multi Principes mundanæ gloriæ choragium affectant, ſic ille ſupplicandi Deo pijs officijs inſeruire, & ſubditis ſuis exemplo eſſe veré glorioſum ſibi apud Deum & homines eſſe exiſtimauit. Hinc tam fæcunda fælicium ſucceſſuum & euentuum ſeges illi ſuccreuit. Fidem ille Chriſtianam longé lateq; per prouincias diffudit, & mundana Deus illum proſperitate & potentia cumulauit. Chriſtianis principibus valde hoc prædicabile eſt, ſi illorum aulæ pijs ad ſupplicandum Deo officijs frequẽtentur & celebrentur. Quanta eccleſia & palacio conuenientia eſſe debet. Vno ab Hebræis vocabulo vtraq; deſignantur. verbo *Heichal* ob ſubſtructionum magnificentiam vtraq; appellantur. Nec tam externa magnificentia colluſtrantur, quam piorum precibus & ſupplicationum frequentandis officijs coram Deo & Angelis condecorantur. Et a verbo cui ſanctimoniæ

niæ significatio impressa est *Mikdash*. palacium vel Regũ & principi aulæ nominãtur, De *Theodosij* Imperatoris cognomẽto iunioris Deo supplicandi pijs & solemnibus officijs, quæ eius in aula frequentabantur, sacræ historiæ monumenta nunquam obmutescent. Matutinis temporibus (referente his verbis *Socrate*) *cum sororibus suis responsorios & alternos hymnos dicebat Quapropter & sacras literas memoriter recensebat. Socratis de illo hæc verba sunt.* Ac orandi tantam eius in palacio frequentiam & sedulitatem fuisse, disertis verbis sic refert, palacium (inquit) sic disposuit vt haud alienum esset a monasterio. Illis nempe temporibus monasteria tã crassis superstitionibus & erroribus oblita & inquinata non erant. Sub annum enim à Seruatore quadringentesimum *Theodosius* floruit. Pulcheria soror lectissima princeps religionis & pietatis laudibus celebrata sanctam illius educationem procurauit, vt scribit *Zozomenus*. Illa ab ineunte ætate sacris *Theodosium* imbui, ad pietatem formari, precandi frequentibus officijs assuefieri curauit. Ille in palacio, ceu quodam sacrario, inter sorores Pulcheriam, Archadiam, & Marianam orãdi pijs officijs assuescebat. Hoc illi a pueritia solemne & consuetum fuit. Claruerunt illis temporibus sub *Theodosio* religionis sanctitate & pietate laudatissimæ Principes. Quas *Cirillus* libro ad Reginas de recta in Dominum nostrum Iesum Christum fide celebrauit. Inter has altus & educatus *Theodosius*, orandi

Hamos. 7.

So. Eccle. histo. li. 7. ca. 22.

Zozo. eccle. histo. li. 9. ca. 1.

Ciril. li. ad Reginas.

rādi pium a teneris annis succum & morem imbibit : qua palacium suum quum sūma polleret potestate, imbuit, & imperium felici successu ornauit. *Theodosij* pietatem *Zozomenus* inter cæteras laudes insignitè extollit, omnis generis virtute præditum fuisse ait, præsertim pietate, quam initium esse sapientiæ diuinum verbum prædicat : ac suam illi historiam *Zozomenus* dedicauit. Si quid inauspicatū transuersim incurrebat, ille sè statim ad supplicationum consueta præsidia conuertebat. Cum aliquando spectacula darentur, & ipse in circo confertissima multudine circumfusus ad spectandum adesset, & derepente vehementissima tempestas magnis cum imbribus coorta esset, Ille ceu de cælo commonefactus per præconem pronunciari iussit (Socratis vt verbis referam) multo satius esse, vt *spectaculo hoc relicto Deo communiter supplicemus, quo ab imminente tempestate illæsi custodiamur. Edicto hoc nondum absoluto, maximo cum gaudio vniuersi hymnos Deo in circo concorditer destinabant. Et tota ciuitas facta erat vna ecclesia. Imperator medius inter eos hymnos ordiebatur, ac veste priuata ingredebatur. Nec spe sua destituebatur. Aer enim serenus est redditus, & terminata rerū penuria cunctis diuina beneuolentia annum præstitit fertilem & feracem.* Hactenus Socrates Theodosij ad supplicandum Deo promptitudinem oblata exterius occasione ostendit. Et quantum principis exemplum valeat ad excitandos subditorum animos, vt

Hist. Zozo. in præf. li. 1. histo.

Socr. eccle. histo. li. 7. ca. 22.

pijs

pijs precibus diuinam cõmiserationem implorent, hoc exemplo demonstrauit. Deniq; piarum supplicationum vim & efficientiam ad rerum bonarum a Deo impetrationem hoc exemplo confirmauit. Et si bellorum fragor alicunde insonuisset, ille Dauidicum ad exemplum (his verbis attestante Socrate) *ad Deum confugit, sciens illum bellorum esse dispensatorem*, eodem in capite vt Socrates commemorat. Quamuis enim quæ belli ad instructum oportuna erant impigrè procurabat, at solitarum supplicationum instructis copijs cum hostibus belligerabat, & admirabiles sæpe de illis victorias retulit. Commemorabile illud est de *Rhoilo* pastoralium *Scytharum* duce, qui quum *Thraciam* ingenti cum exercitu depopulatus esset, ciuitati Regiæ minaciter obsidionem denunciauit. Ac (vt Theodoriti verbis narrem) fulmine Deus adactum tum ipsum exussit tum copias vniuersas perdidit. Aliud etiam extraordinarij successus exemplum Theodoritus subijcit. Quum violatis pacis fœderibus Persæ ciuitates in confinijs inuaderent, grandine & vehementissimis imbribus illorum frenatas & repressas excursiones fuisse. Refert etiam hoc Socrates, quum Iohannes qui vt (inquit) amanuensibus imperialibus præfuerat ad tyrannidem prorupisset, & occidentale imperium Rauennæ occupasset, Asparem Ardaburij a tyranno capti filium Angeli ductu & indicio sub pastoris habitu per inuias (vt existimabatur) paludes Rauẽnam deductũ,

Theod. eccle. histo. li. 5. ca. 37.

So. ecele. hist. li. 7. ca. 23.

tyrannum oppressisse. Ac disertis verbis Socrates vt subiecit, Deus quod inuium erat peruium reddidit. Et suæ ante hac de re narrationi hanc de Theodosij orationum vi & effectu sententiam intexuit. *Tum autem denuo plurimũ valuit Imperatoris oratio.* Ac Theodoritus fœlicem Theodosij de *Rhoilo* & Persis successum narraturus, hanc eius in rebus gerẽdis fœlicitati acclamationem prætexuit: *Theo. eccle. histo. li. 5. ca. 37.* *Quorum bonorũ (inquit) ac seminum perpetuó carpit fructus. Prouidentem enim sibi habet vniuersitatis huius Dominum.* Sic pietatis fructus diuinitus in illum redundantes *Theodoritus* explicauit. Multi admirabilium euentuum fœlices successus precum eius vi & efficacitate diuinitus euenisse interpretabantur. Militũ cohortes sub illius insignibus foris merebant, at ille suis foris bellantibus precum suarum subsidijs domi succurrebat. Et rebus fœliciter gestis gratitudinem suam orandi officijs & gratijs Deo habendis studiosè repræsentauit. Insigne gratitudinis eius in gratijs Deo habendis exemplum de Iohannis tyranni interitu accepto nuncio, à Socrate his verbis commemoratur. Cum ludos circenses populo exhiberet, significatur illi occisum esse tyrannum Acclamat populo dicens: *venite (inquit) & si placet delicijs istis relictis oratorium ingressi gratias Deo destinemus, qui tyrannum manu sua deiecit, his dictis cessant & negligũtur spectacula, & per mediũ circum vniuersi vna cum ipso Imperatore concorditer & cum gratiarum actione ad ecclesiam Dei proficiscuntur,* *So. eccle. hist. li. 7. ca. 23.*

ficiſcuntur, atq; ita tota ciuitas vna redditur eccleſia. In oratorio vero conſtituti totum in eo diem permanſerãt. Hactenus Socrates. Vt pro fœlici rerum adminiſtratione preces ad Deum fundimus, ſic pro acceptis debitas illi viciſſim gratias refundere debemus. Conſtantinus magni qui cognomentum accepit ſuam pro diuinis beneficijs gratitudinem ſupplici oratione huiuſmodi verbis expreſſit. Plurima (inquit) ſit tibi gratia domine Deus omnium Et milites etiam ſuos vt fælices ſucceſſus & victorias deo acceptas referant diſertis in orando verbis iſtiuſmodi inſtituit. *Ad te victorias referimus tibi preſentium bonorum gratiam acceptam referimus, & per te futura quoque ſperamus.* Iſtis in orando verbis (vt *Euſebius* ea recẽſuit) milites ſuos ad gratias deo, rebus fæliciter geſtis, habendas, & inſequentium ad ſpem & expectationem aſſuefecit Prompta & expedita Regum & Principum exempla magni momenti ſunt ad ſubditorum animos ſuppliciter Deo vt ſupplicẽt incitandos. Theodoſij in orãdo ſedulitas & alacritas ſacris commentarijs celebratur. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ antiquis exſcriptoribus hæc de illo teſtimonia adduximus. Coæuus illi fuit *Zozomenus*, qui hiſtoriæ ſuæ dedicationem illi aſcripſit. Et *Socrates* ſuppar eius ætati, vt ipſius verbis explicem nuda (inquit) cum veritate, quæ Imperatori bona fuerunt indita cõmemorare propoſui, idem ante, non Imperatori (inquit) innoteſcere cupiens. *Theodoſij* huius aulam ob ſolemnes, ſtatas

Euſe. de vita conſtan. li. 2.

Euſe. de vita conſt. li. 4.

Zozo in proœmia. hiſto.

So. eccle. hiſt. li. 7. ca. 22.

&

& sacras preces monasterio affinem fuisse, ex *Socrate* antea meminimus. *Theodosij* etiam cognomento senioris (cuius ex filio Arcadio iste Iunior ceu surculus extitit) aula supplicandi Deo pijs officijs præclarum posteritati exemplum reliquit. *Constantinus* ille qui rerum fæliciter gestarum magnitudine magni cognamẽtum sortitus fuit *ecclesiæ Dei formam in ipsa Basilia induxit vt Eusebij verbis narrem: studioque primus inter eos qui congregabantur canere cæpit. Ac sumptis in manus libris animum contemplationi diuinorum eloquiorum admouit*, vel preces consuetas vna cum illis, qui domum basilicam frequentabant, persoluit. Sic aula eius instar ecclesiæ supplicandi deo sacris & solemnibus officijs vniuerso imperio præluxit. Et filios suos hunc ad modum instituebat, qui (vt Eusebij de illis verba recitẽ) *non tanquam ex mãdato, sed vltro & spontanea alacritate monita patris superabant etiam, animosq; suos ad religionem erga deum dirigentes ritus ecclesiæ in ipsis basilijs vna cum domesticis suis omnibus seruabant.* Hactenus *Eusebius*. Sic filiorum etiam eius Aulæ pietatis paternæ imitatione supplicandi Deo luculenta exemplaria omnibus imperio subiectis esse cæperunt. Et Basilia (vt illa *Eusebius* nominat) ceu monasteria fundendis Deo precibus deuota & consecrata erant. Illorum temporum ab antiquo monasteria in precibus fundendis & scripturarum studijs exercebantur. *Ruffinus* narrat Basilium cognomento postea magnum & *Gregorium*

Euseb. de vita constan. li. 4.

Euse. de vita constian. li. 4.

gorium Nazianzenum, qui orientalis ecclesiæ inter Episcopos orthodoxæ fidei & eximiæ literaturæ donis floruerunt, *in monasterio per annos (vt ait) tredecem (Ruffini enim hoc verbis pronuncio) omnibus Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operã dedisse.* Paphnucius in asceterio educatus a puero fuit, vt disertis verbis *Socrates* de illo affirmauit. Ac ille cum Nicena in synodo de presbyterorũ nuptijs suam sententiã pronunciasset, *castitatem esse dicens legittima cum vxore congressum, totus sacerdotum conuentus (Socratis vt verba recitem) verbis Paphnutij obtemperauit.* Fuit ille Episcopus ex Ægipti partibus confessor (*Ruffini* vt de illo testimonium commorem) *Ex illis inquit, quos Maximianus dextris oculis effossis & sinistro poplite succiso damnauit ad metalla.* Admirabilibus etiam illum signis claruisse *Zozomenus* refert *sanationum, & damonibus vt imperaret.* Illius in asceterio ceu orandi & pietatis quodam sacrario educationem a puero extitisse *Socrates* memorauit. *Eudociam Theodocij Iunioris* vxorem Hyerosolimam adijsse Euagrius commemorat, ac in ea sacra phrontisteria & quas lauras (vt inquit) vocant ædificasse, in quibus communibus se precationibus & laboribus exant landis exercuerãt, *ut sine sepulcris (Euagrius vt de illis ait) mortui viderẽtur in terra.* At hæc recẽtiori memoria monasteria quãuis precãdi crebritate et prolixitate se vẽditent, papatus superstitionibus & erroribus immersa degenerarũt ab antiquis

Ruff. eccle. hist. li. 2. ca. 9

So. eccle. hist. li. 1. ca. 11.

Ruffi. ecle. histo. li. 1. ca. 4.

Zozo. histo. li. 1. ca. 4.

Eua. eccle. histo. li. 1. ca. 24.

antiquis, & quandam ad saturitatem, saginam, & ocium defluxerunt. Sed *Theodosij* (qui illius ex anteccessoribus fuit) & ipsius etiam *Constantini* aulæ ob precandi frequentiam & diligentiam antiquis monasteriis & asceterijs affines fuisse posteritatis præclarum ad exemplum prædicabant. Orandi enim frequentia & assiduitate ceu sacra quædam exemplaria & spectacula omnibus in posteritatem Imperatoribus & Principibus proposita fuerunt. Quid illis qui magnis mundi huius in administrationibus & principatibus exercentur & succedentium contertim negotiorum vndis iactantur optabilius esse debet, quam vt æstuosis mundi huius ex fretis cœlestium consolationum & gratiarum ad portum pié redintegratis & frequentatis precibus appellant? Illud enim *Pauli* indesinenter orate ad tranquillandos animos & diuinis solacijs & gaudijs mulcendos efficacissimum est. Quippe orationum frequentia & assiduitate cœlestium consolationum & gratiarum perpetua diuinitus fomenta submministrantur. Ac illud ἀδιαλείπτως indesinenter scilicet *Pauli*, vacationem a precibus & securam cessationem prohibet. Ne orādi prophana abruptione a supplicādo superseamus; si optato statim successu nostrū ad votum preces nostræ non respondeant. Frequentatione, crebritate & assiduitate orandi opus est, ne a deprecando Deum desistamus. Neue flaccescente & frigescente orandi studio, desiderium, alacritatem, & supplicandi diuinum

1. Thes. 5.

num impetum amittamus. Quędam enim non negantur (vt *Augustinus* ait) sed vt congruo dentur tempore differuntur. Ac alibi idem *Augustinus*, si voluntati nostræ non dat, saluti dat. Ac illud *Pauli* indesinenter orate, de assiduo orandi affectu & desiderio *Augustinus* interpretatus est. Desiderium (inquit) tuum oratio tua est: & si cōtinuū desideriū, continua oratio: non enim frustra dixit Apostolus sine intermissione orate, sic *Augustinus*. *Paulus* suarum orationum noctu & interdiu meminit. *Iacobus* frater domini *Iustus* cognomēto, assiduitate orādi callos in genibus camelorum instar contraxerat, vt ex *Egesippo Eusebius* narrauit. Nobis autem prouidendum est ne ab orando nimirum desuefacti callum animis nostris obducamus, dum precibus & genibus parcimus, nec ad supplicandum Deo desideria nostra expergefacimus. Citó enim in precibus flaccescimus, & mundanarum rerum obuersatione & interpellatione obtorpescimus, ac pia desideria, ceu quidam igniculi carnis & mundi huius corruptelis refrigerantur & extinguntur. Flammis iniectam salamandrum natiuo frigoris sui veneno ignem extingùere proditum est. Et *Chalaziam* gemmam, cuius à grandine nomenclatura est, ignis feruori resistere & insitiui frigoris vi nequaquā incalescere aut ignescere. Ac nos quum ad orandum feruentiori quodam impetu efferimur, carnis tamen cōmuni fragilitate & mundi huius corruptelis cito refrigeramur. Quid difficile

Aug. in Exa. Ioha. tract. 102.

Augusti. in epist. Ioha. tract. 6.

Augsti in Psal. 37.

2. Ti. 1.

Euse. eccle. histo. li. 2. ca. 23.

Plini. li 29. ca. 4.

Plini. li. 37. ca. 11.

Melanct. in lo. cō. lo. de ora.

difficile Eremitæ cuiusdam elogio ex *Melanchthone*? Orare. Proinde spiritus stimulis opus est, vt obtorpescētes animos ad orandū exuscitemus. Vt ille Hilarion corporis sui grauedinosam massam ad spiritus obeunda munia sentiens, eius tarditatem huiusmodi verbis castigare solitus fuit, castigabo te asine. Corpus suum quod grauatè & lentè ad spiritus exequenda officia adducitur, asinum nuncupauit: & castigationibus ad spiritus operas exercēdas exstimulandum esse iudicauit. Proinde naturæ nostræ insitiua ista tarditas in grauedinem & torporem ad supplicandum deo propensa, subinde castigationum stimulis, vt Hilarionis ille asinus, fodienda, & orandi ad alacritatem incitanda est. Intimis ergo precibus Deus à nobis orādus est,

Zach. 12. vt iuxta diuinam in *Zacharia* promissionem, spiritum gratiæ & precum in nos effundat, vt supplicandi & orandi studio & alacritate erigamur. Propheticum verbum *Tachanunim* quidam precum interpretantur, quidam miserationum vel beneficentiæ: Et ambo sensus appositè in rem præsentem conspirant. Nam precando ceu intermedio instrumēto diuina commiseratio & beneficentia elicitur. Illum ergo precandi spiritum impensè à deo oremus, diuinæ commiserationis ceu è fonte vt ductus quidam sit, illumq; vt in nos perpetuò deriuet. Ac suauissima ista Dei ex *Zacharia* promissione huic de precibus tractationi finem imponemus. Dominus Iesus hunc gratiæ & precum spiritum

ROY. SOC.

ſpiritum Regiæ Maieſtati affluenter largiatur, mundana vt hæc Regna piè moderetur & fœlicitèr adminiſtret, & æterno poſt hanc vitam Regno & incorrupta per Chriſtum Seruatorẽ corona in cœlis potiatur.

Regi autem æterno in corruptibili inuiſibili ſoli ſa- 1. Tim. 1.
pienti deo honor ſit & gloria in ſecula
ſeculorum, Amen.